

CONSILIO AD EXSEQUENDAM CONSTITUTIONEM  
DE SACRA LITURGIA

---

# NOTITIAE



19-20

IULIO-AUGUSTO 1966

---

CITTÀ DEL VATICANO - PALAZZO SANTA MARTA

# NOTITIAE

18-20

Commentarii ad nuntia  
de re liturgica edenda cura  
*Consilii*  
*ad exsequendam Constitutionem*  
*de sacra Liturgia*

« Notitiae » prodibunt semel in mense. Libenter, iudicio Directionis, nuntium dabitur Actorum, inceptuum, editionum in re liturgica, praesertim e Coetibus Episcoporum vel Commissionibus liturgicis nationalibus emanantium, si scriptorum vel periodicorum exemplar missum fuerit.

*Directio:* Commentarii sedem habent in Civitate Vaticana, Palazzo S. Marta, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta:  
**NOTITIAE, Città del Vaticano**

*Administratio autem residet apud*  
*Libreria Editrice Vaticana*  
*Città del Vaticano*

Pro commentariis sunt in annum solvendae:  
in Italia lit. 2.000  
extra Italiam lit. 3.000 (\$ 5)  
singuli fasciculi veneant:  
lit. 200 (\$ 0,35)  
Pro annis praecedentibus  
singula volumina: lit. 4.000 (\$ 7)  
id. linteo contecta: lit. 5.000 (\$ 8,40)  
singuli fasciculi lit. 400 (\$ 0,70)

\*

In Italia pecunia mittenda est per  
C.c.p. N. 1/16722

Vol. 2 (1966), n. 6

## SUMMARIUM

### *Acta Summi Pontificis*

« Peculiare Ius » . . . . .	Pauli PP. VI
Litterae Apostolicae de altaris Pontificiis usu in Patriarchalibus basilicis romanis . . . . .	201
Commentarium . . . . .	204
« Ecclesia domus Dei » . . . . .	209
Momentum liturgiae in renovatione vitae religiosae . . . . .	210
Ex aliis allocutionibus: ad Coetum Episcoporum Italiæ; ad fideles dioecesis Romanae . . . . .	211

### *Acta Consilii*

Summarium Decretorum quibus deliberationes Coetuum Episcoporum confirmantur . . . . .	212
Summarium Decretorum quibus confirmantur interpretationes populares Proprietum religiosorum . . . . .	217
Labores Coetuum a studiis: De recognitione Ritualis Romanæ (Prof. B. Fischer; P. P. Gy, OP) . . . . .	220
In nostra Familia . . . . .	230

### *Actuositas Coetuum Episcoporum*

Libri liturgici officiales: Civitates Foederatae Americae Septentrionalis . . . . .	231
-------------------------------------------------------------------------------------	-----

### *Studia*

Concilii Vaticani II textus Eucharistici (P. I. Lecuyer) . . . . .	232
--------------------------------------------------------------------	-----

### *Documentorum explanatio*

Dubia . . . . .	240
Varia . . . . .	244
Bibliographica . . . . .	246

# Acta Summi Pontificis

---

## « PECULIARE IUS »

### PAULI PP. VI LITTERAE APOSTOLICAE DE ALTARIS PONTIFICII USU IN PATRIARCHALIBUS BASILICIS ROMANIS

Peculiare ius, quo sive Romae sive Asisii in Basilicis Patriarchalibus altaris Pontificii usus regitur, plane indicat quae praecipui honoris significationes sint illis Basilicis habendae, ex eo quod ad Summum Pontificem proprio quodam titulo pertinent.

Ex quo singulari iure, ut inter omnes constat, ad harum Basilicarum altare primarium unus Summus Pontifex Sacrum facere potest; nemini vero alii hoc licet, nisi ex ipsius Pontificis venia.<sup>1</sup>

Hoc autem privilegium ex vetere eo usu natum esse videtur, pro quo uni Episcopo attribuebatur princeps sacrae aedis altare, ubi exstabat ipsius Episcopi cathedra; ob eam scilicet causam, ut palam ostenderetur, omnes dioecesis christifideles et in unam convenire fidem, et uni adhaerere Pastori, et uni circumfundi altari; iuxta illud S. Ignatii Anthiocheni: *una enim est caro Domini nostri Iesu Christi, et unus calix in unitatem sanguinis ipsius, unum altare, unus episcopus cum presbyterio et diaconis, conservis meis.*<sup>2</sup>

Ex longa consuetudine, Romae uni Summo Pontifici altaria Basilicarum addicebantur, quae ad *Patriarchium*, hoc est ad sedem Summi Pontificis, pertinebant, quaeque in litteratis monumentis mediae, quam vocant, aetatis etiam *Patriarchatus* nomine designabantur.<sup>3</sup>

\* AAS 58 (1966) 119-122.

<sup>1</sup> Cfr. C. I. C. can. 823, § 3.

<sup>2</sup> Ad Phil. 4; cfr. etiam Ad Magn. 7; et Ad Smyrn. 8.

<sup>3</sup> Cfr. *Descriptio Lateranensis Ecclesiae*, cap. 9, ed. R. Valentini-G. Zucchetti. *Codice Topografico della città di Roma*, III, Roma 1946, p. 344.

Quae tamen disciplina non erat initio perinde gravis, ut nostris hisce diebus. Etenim saeculo V Decessor Noster f. r. Simplicius constituit, ut, in Basilicis S. Petri, S. Pauli et S. Laurentii, Presbyteri Titulorum certarum regionum Urbis per hebdomadam sacros ritus conficerent;<sup>4</sup> quod postea etiam quoad Basilicam S. Mariae Maioris factum esse scimus. Constat praeterea iam saeculo IX divinum cultum, ita ordinatum ut diximus, a VII Cardinalibus Presbyteris in unaquaque IV Basilicarum Patriarchalium peragi consuevisse.<sup>5</sup> In Basilica autem Lateranensi hos sacros hebdomadales ritus, ad medium saeculum VIII, obibant VII Cardinales Episcopi, sedibus praepositi, quae proxime ad Romanam adiacebant. Quibus Decessor Noster b. m. Stephanus III illud quoque munus detulit, ut singulis diebus dominicis *super altare S. Petri Sacris operarentur.*<sup>6</sup>

Sed postea, rerum temporumque adiunctis mutatis, factum est pedetemptim, ut disciplina, ex qua altaris Pontificii usus uni Summo Pontifici servabatur, severius exigeretur, eamque ad ultimum haberet iuris formulam, quam Decessor Noster f. r. Benedictus XIV statuit,<sup>7</sup> quamque Codex Iuris Canonici assumpsit.

Attamen nunc res ac tempus a Nobis postulare videntur, ut in Patriarchalibus Basilicis Romanis huic privilegio laxamentum quoddam demus. Primum enim opportunum putamus, sollemnioribus Ecclesiae diebus festis, cum scilicet frequentior est christiani populi in templum concursus, in hisce Basilicis Sacrum peragi loco elato et centrali; ita nempe ut, ad Concilii Oecumenici Vaticanii II optata, altare *revera centrum sit, quo totius congregations fidelium attentio sponte convertatur.*<sup>8</sup> Deinde nostro hoc tempore Romae saepenumero catholicorum congressiones vel conventus varias ob causas habentur, quibus, ut plurimum, magna hominum multitudo interest; qui fere saltem semel, in aedem

<sup>4</sup> Cfr. *Liber Pontificalis*, L. Duchesne, I, Parisiis 1886, p. 249.

<sup>5</sup> Cfr. lib. comm. *Descriptio Lateranensis Ecclesiae*.

<sup>6</sup> Cfr. lib. comm. *Liber Pontificalis*, p. 478.

<sup>7</sup> Cfr. *Fontes Codicis Iuris Canonici*.

<sup>8</sup> *Instructio ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandum*, die 26 sept. a. 1964 edita, n. 91.

sacram, ingentis numeri capacem, coguntur, ut divinis assistant. Praeterea hodie Romam frequentiores quam antea, pietatis causa, confluunt undique terrarum christianorum turmae; quibus, cum in primis optent Patriarchales Basilicas invisere et Sacris ibidem interesse, opus est bene patentem aram parare.

Quapropter, aliquid de vigente lege immutantes, concedimus, ut ad altare Pontificium, praeterquam a Romano Pontifice, ab aliis etiam Eucharisticum Sacrificium confici possit, his tamen modis statutis:

1. Ut patet, nulla de hac re concessio impertietur, ad eam Basilicam et ad eum diem quod attinet, in quibus ipse Summus Pontifex sacris operari statuerit.

Quod cum, perspicuas ob rationes, in Basilica Petriana crebrius evenire possit, venia idcirco rarius dabitur Sacrum peragendi ad altare Pontificium huius Basilicae.

2. Nostra huiuscemodi concessio ad Patriarchales tantum Basilicas spectat, quae Romae sunt: hoc est, ad Archibasilicam Lateranensem, et ad Basilicas S. Petri, S. Pauli, S. Mariae Maioris, S. Laurentii extra moenia.

3. Hac concessione frui dumtaxat poterunt:

a) In sua quisque Basilica, Cardinalis Basilicae Archipresbyter, aut eo ab Urbe absente vel impedito, Episcopus eius vices gerens, vel ab eo delegatus;

b) In Archibasilica Lateranensi, Cardinalis in Urbe Vicarius, vel Episcopus eius vices gerens;

c) In Basilica S. Pauli, Abbas eidem templo praepositus;

d) In Basilica S. Laurentii extra moenia, Abbas Commendatarius, quem vocant;

e) In qualibet Patriarchali Basilica Romana, Episcopus quicumque magnum peregrinorum numerum ducit;

f) Ad has Patriarchales Basilicas Romanas quod spectat, est Nobis in animo privilegiis nullo modo derogare, quibus, certis diebus festis, Praelati quidam iam fruuntur.

4. Causa, ob quam huiusmodi venia datur, in frequentissimo fidelium concursu semper ponenda est: sive ob sollemnes Ecclesiae dies festos primae classis; sive ob congressiones et conventus, varia de causa actos; sive ob numerosam peregrinationem, Romam ductam.

5. Ne autem concessiones superveniant concessionibus, necessarium arbitramur, eas tantummodo ab eo Viro tribui, qui Basiliacae Patriarchali moderetur.

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta sunt, ea omnia firma ac rata esse iubemus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die VIII mensis Februarii, anno MDCCCCLXVI, Pontificatus Nostri tertio.

PAULUS PP. VI

---

#### COMMENTARIUM

Quamvis unice almam Urbem respiciat, hoc documentum Pontificium maximi momenti censendum est ad instaurationem liturgicam iuxta mentem Constitutionis de sacra Liturgia a sacrosancto Concilio Vaticano II promulgatae, fovendam.

Agitur enim revera de aliqua authentica et primaeva traditione Ecclesiae instauranda, quae successu temporum quodammodo obnubilata est (cfr. *Const.* art. 62).

Paucis verbis in Motu Proprio origo privilegii altaris Papalis describitur, simulque eiusdem sensus primigenius redditur. Dicitur enim provenire « ex eo usu ... pro quo uni Episcopo attribuebatur princeps sacrae aedis altare, ubi exstabat ipsius Episcopi cathedra; ob eam scilicet causam, ut palam ostenderetur omnes dioecesis christifideles et in unam convenire fidem, et uni adhaerere Pastori, et uni circumfundi altari ».

Qui usus, utpote unitatem sive sacerdotii sive totius Ecclesiae exprimens, iuxta pulcherrima verba S. Ignatii Antiocheni, non erat Ro-

mae proprius, sed omnibus Ecclesiis communis. Quod quidem ex facto confirmatur: nam per quinque priora saecula in omnibus Ecclesiis sive Orientis sive Occidentis unum tantum altare exstabat, ideo « altare unigenitum » ab Eusebio Caesareensi appellatum. Quod graeci usque in hodiernum diem servant.

Decursu saeculi VI, Basilicae in civitatibus, et altaria in Basilicis, magis ac magis multiplicantur, praesertim a Missarum « privatarum » celebratione, quae ex hoc tempore semper crebrius usu veniunt. Sed ne ex hac multiplicatione primigenius sensus de unitate Sacerdotii, Sacrificii et Ecclesiae quodammodo infirmaretur, Romae instituuntur ritus qui « sancta » et « fermentum » vocantur, qui miro modo unicitudinem Sacrificii, necnon totius corporis Ecclesiae exprimebant. Extra Romam vero ubique prevaluit Canon Concilii Antissiodorensis qui statuit: « Non licet super uno altario in una die duas Missas dicere, nec in altario, ubi Episcopus dixerit, ut presbyter in illa die Missas dicat ». Quod generaliter usque ad saeculum VII observatum est, et usque in hodiernum diem vestigia inveniuntur in quarumdam Ecclesiarum consuetudinibus, unam tantum Missam, nempe Conventualem, in altari principali celebrandi.

Sensus tamen primigenius unitatem Ecclesiae exprimens, paulatim mutatur in sensu mere iuridico: Non potest celebrari in altari ubi Episcopus celebravit « propter Episcopi reverentiam » ut dicitur. Et dum decursu temporum hic mos extra Romam saepissime desuetus evasit, in Urbe magis ac magis urgetur propter singularem dignitatem Summi Pontificis, et sensim sine sensu in privilegium altaris Papalis, prout hodie intelligitur, evolvitur. Ex traditione, ut ita dicam, ecclesiiali, fit privilegium personale, et sic in altare ubi Summus Pontifex celebravit, nemo alias unquam, nisi ex eius expressa licentia, celebrare potest, et non tantum eo die quo ipse sit celebraturus, sicut in antiqua disciplina.

Sed sicut habetur in M. P.: « haec disciplina non erat initio tam gravis ut nostris hisce diebus ». Nam disciplina in hoc sensu restrictivo actuali tantum decursu saeculi XII-XIII definitive efformata est.

Ad quod probandum M. P. testimonium adducit Papae Simplicii, qui primam ordinationem cleri circa praecipuas Basilicas statuit; sed ante et post ipsum loculenta exstant testimonia S. Leonis Magni et S. Gregorii item Magni. S. Leo expresse toties Missam iterari mandat in una eademque basilica — nullaqua excepta — quoties multitudo fidelium id postulat (*Epist. ad Dioscorum*; PL 54, 627). De S. Gre-

gorio legitur in Libro Pontificali: « Hic fecit ut super corpus beati Petri Missas celebrarentur » (*Lib. Pont.*, vol. I, p. 312). Quod confirmatur ex Concilio a Gregorio III Romae anno 732 habito (*ibid.*).

Quoad basilicam lateranensem vero, praeter testimonium Stephani III, a Motu Proprio adductum,<sup>1</sup> exstant praeclarissima testimonia ex saeculo XII quae in « Ordine Basilicae Lateranensis », a Bernhardo Priore conscripto, inveniuntur, ex quibus absque ulla dubitatione constat quod, saltem illo saeculo perdurante, sed iam ex antiqua traditione, in altari maiori illius venerandae Basilicae, Papa vel Cardinali impedito, ipse Prior Canonicorum Regularium S. Augustini, qui Ecclesiae Salvatoris inserviebant, vel etiam hebdomadarius, super illud altare celebrare tenebatur. Et expresse dicimus « tenebatur » quia ipsa hebdomadaria institutio pro officiis divinis in illa basilica peragendis, de qua omnes auctores saeculi XI et XII loquuntur ad privilegium altaris Papalis firmandum, eo precise tendebat ut Missae celebratio nunquam ibi, et in aliis principalioribus basilicis, decesset.

Sed *Motu proprio* non intendit meram restorationem archaeologicam nec solummodo ideologicam vel theologicam, sed ante omnia finem pastoralem. Nempe: « ut, ad Concilii Oecumenici Vaticani II optata, altare revera centrum sit, quo totius congregationis fidelium attentio sponte convertatur ». Hucusque optatum hoc in basilicis patriarchalibus, precise propter privilegium altaris Papalis, fere nunquam adimpleri poterat. Nam in maiori altari harum basilicarum rarissime litari licebat, et Missae celebratio in altari perfunctorie ante vel post vel subtus altare papale aptato, fiebat.

Reditus hic ad priorem disciplinam et simul aptatio ad circumstan-tias hodiernas est certe gravis immutatio legis vigentis quae saltem

<sup>1</sup> De hoc textu Libri Pontificalis quaestio moveri potest circa sensum verborum *super altare Sancti Petri*, quae consulto in Motu proprio sublineantur. Iuxta Andrieu (*Miscellanea Mercati*, Studi e Testi, 125 (1946) p. 124), Stephanus III committeret Cardinalibus hebdomadariis servitio Basilicae Lateranensis addictis « une nouvelle fonction liturgique, celle-ci devant être accomplie à Saint Pierre ». Duo tamen contra hanc interpretationem obici possunt: 1. Liber Pontificalis nunquam designat Basilicam Vaticanam simplici nomine « altare Sancti Petri », sed « basilicam Sancti Petri », ut apparet ex ipso integro textu; 2. saltem a saeculo XI sed probabilius multo antea, altare maius basilicae Lateranensis appellabatur « altare Sancti Petri » (cfr. *El Altar Papal de las Basílicas romanas*, in *Miscellanea Liturgica Card. Lercaro*, 1966, p. 673).

Quidquid sit de huius textus interpretatione, omnino certum est saeculo VIII, nondum ponи posse quaestionem de « altari Papali » neque pro basilica Lateranensi, neque pro basilica Vaticana vel quacumque alia.

ab hinc octo saeculis in Ecclesia romana observatur, sed sine dubio ad innovationes pertinet a vera et certa utilitate Ecclesiae postulatas (cfr. *Const.* art. 23). Certe magni momenti est ut altare illarum basilicarum denuo sit « totius congregationis revera centrum » ubi celebratur Sacrificium Eucharisticum quod est « fons et culmen totius actionis Ecclesiae ». Hoc modo unitas altaris, Sacrificii, Sacerdotii et populi Dei, melius in luce ponitur praecipue in his basilicis, quae in omnibus exemplo esse deberent cunctis Urbis et Orbis Ecclesiis.

Quae in parte dispositiva continentur forsan decursu temporum adhuc ampliari poterunt. Sed iam sicut nunc est, optime ratio sive venerabilis traditionis sive necessariae aptationis habetur.

In primo articulo, recte, iuxta citatum Canonem Concilii Antissiodorensis, prohibetur Missae celebratio in altari Pontificio harum basilicarum eo die, quo Summus Pontifex ibidem celebrare intendit. In basilica S. Petri vero ubi Summus Pontifex crebrius Sacrum peragit, rarius dabitur venia in altari Pontificio celebrandi. Adverte tamen quod non omnino ibidem celebrari prohibetur. Non raro occurunt occasiones, praecipue ratione magnarum peregrinationum, in quibus celebratio ad altare Papale valde utilis esse potest, et ideo permitti. In illa vero basilica sat sufficientia et ampla exstant sanctuaria, ut ordinarie sufficere possint ad Sacrum, maiori cum pietate et recollectione, peragendum pro coetibus minoribus.

Extensio huius decreti, in articulo secundo determinatur. Respicit enim tantum altaria Pontificia Urbis Romae, nempe: Archibasilicae Lateranensis, Sancti Petri et Sancti Pauli, Sanctae Mariae Maioris et Sancti Laurentii extra moenia. Ideoque remanent adhuc altaria Papalia, sensu Canonis 823 § 3, altaria praecipua basilicae Sancti Francisci et Basilicae S. Mariae Angelorum, Asisii. Faciliter tamen putamus etiam illas basilicas hac concessione frui posse si expresse a Sancta Sede requiratur.

In articulo tertio bene determinantur personae quibus facultatis conceditur in altari Papali celebrandi. Nempe:

a) In unaquaque basilica Cardinalis basilicae Archipresbyter, vel eo impedito — quavis de causa — Episcopus, eius vices gerens vel ab eo delegatus.

b) Etiam in unaquaque basilica Episcopus quicumque magnum peregrinorum numerum ducit.

**Praeterea:**

- a) In archibasilica Lateranensi Cardinalis in Urbe Vicarius, vel Episcopus eius vices gerens.
- b) In basilica Sancti Pauli Abbas eidem templo praepositus.
- c) In basilica Sancti Laurentii extra moenia, Abbas Commendatarius.

Insuper privilegia quibus iam fruuntur Praelati in eisdem basilicis omnino conservantur: ex. gr. pro Abbatे Sancti Pauli facultas celebrandi in altari papali in Festo Conversionis Apostoli, die 25 ianuarii, et pro Abbatе Commendatario facultas celebrandi in altari Sancti Laurentii, in eius die festo, 10 nempe mensis augusti.

In articulo quarto, ut conditio sine qua non huius concessionis magnus fidelium concursus ponitur, qui ordinarie haberí prae sumitur:

- a) In festis solemnioribus, primae classis.
- b) In congressibus et conventibus varii generis.
- c) In magnis peregrinationibus.

Circa hunc articulum quaeri potest quid fiat in festis solemnioribus si frequentia populi non sat magna sit. Et e contra quid in diebus dominicis et festis de pracepto si magnus concursus populi habeatur?

Iuxta sensum pastoralem huius decreti, putamus in utroque casu licere in altari Papali celebrare. Minime videtur per hanc interpretationem spiritum — neque expresse litteram — decreti offendī. Sed in hoc casu, sicut in ceteris, eius erit qui Basilicae Patriarchali quodammodo praeest, licentiam dare, ne, ut in articulo quinto decreti dicitur, « concessiones superveniant concessionibus ».

Sed e contra nunquam quavis de causa, in illis altaribus permitti possunt celebrationes Missae privatim, absque populi frequentia.

Omnes christifideles qui, ut par est, magno amore et devotione erga has sacras Basilicas, toto orbe maxime venerandas, afficiuntur, grati erunt Summo Pontifici qui, ut ibidem Sacris interesse possint, « aram bene patentem pro ipsis paravit » (A. F.).

---

### « ECCLESIA DOMUS DEI »

*In audiētia generali, concessa feria IV, die 4 maii 1966 fidelibus, in basilica Sancti Petri, Summus Pontifex, loquens de nominibus Ecclesiae, haec inter alia de Ecclesia, domo Dei, edixit.<sup>1</sup>*

« Prendiamo uno di questi nomi; quello, ad esempio, di Casa di Dio. È San Paolo che lo usa, scrivendo a Timoteo. Egli dice: “ ... Ti scrivo affinché ... tu sappia come diportarti nella casa di Dio, che è la Chiesa del Dio vivente, colonna e base della verità ” (*1 Tim 3, 15*). Questa immagine della casa, paragonata alla Chiesa, richiama alla mente altre immagini simili che troviamo nel libro sacro sempre riferite alla Chiesa. Ancora San Paolo dirà dei cristiani: “ *Dei aedificatio estis*, voi siete l’edificio costruito da Dio ” (*1 Cor 3, 9*). E il pensiero corre alle parole di Gesù stesso: “ Edificherò la mia Chiesa ” (*Mt 16, 18*); corre alla pietra d’angolo (*Mt 21, 42*), ch’è Cristo medesimo, che sostiene tutta la costruzione, e corre a Simone, a cui Gesù cambiò il nome chiamandolo Pietro, perché fosse in certo modo assimilato a Cristo, suo Vicario visibile noi diciamo, nella funzione di fondamento, di sostegno dell’edificio, di cui Cristo dice di voler essere il costruttore, l’architetto, l’artista.

A quali concetti dottrinali ci guida allora questa immagine della Chiesa-casa di Dio? Difficile dire in poche parole; ma ciascuno di voi può trovarli, quasi da sé. Per esempio: la casa non è una dimora? Non indica un’interiorità? Un’abitazione dove una famiglia s’incontra? Non dice una unità interiore, un’intimità vissuta e protetta? Applicata ad una pluralità di persone, l’immagine della casa non c’insegna che questa pluralità deve formare comunità? Che essa deve essere unita nell’amore, nella concordia, nell’identità di pensieri e di sentimenti? Come potrebbe essere altrimenti la Chiesa di Cristo, concepita come la casa di Dio?

E se questa casa non è destinata soltanto a riunire la società ecclesiastica, che vi abita, ma è destinata a rendere possibile, a provocare, in un certo senso, l’incontro dei fortunati inquilini con Dio, quella casa ci appare sacra, diventa tempio, ci mostra come la Chiesa è luogo vero e necessario per comunicare con Dio, è il punto focale della sua luce, è il posto dove Egli ci attende, dove Egli a noi si concede, dove gli possiamo parlare con fiducia, dove possiamo godere della sua pre-

<sup>1</sup> *L’Osservatore Romano*, 5 maggio 1966.

senza, dove si può vivere il "mistero" del rapporto istituito da Cristo fra Dio e gli uomini. Nella Chiesa diventiamo "domestici Dei, familiari di Dio" (*Eph 2, 19*).

Basterebbe meditare questo concetto della Chiesa-casa di Dio per avere sorgente di pensieri senza fine».

### MOMENTUM LITURGIAE IN RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE

*Sorores participantes Conventum generalem ab « Unione Romana Superiore Maggiori » ad studendum Decreto Perfectae caritatis ordinatum, Beatusimus Pater, peculiari audientia, die 16 maii 1966 exceptit, easque allocutus est de vita religiosa iuxta praecepta Concilii, inter quae, haec de sacra Liturgia dixit:*<sup>2</sup>

« Vorremmo tuttavia indicarvi tre particolari direzioni, sulle quali procedere in questa via di generoso amore alla Chiesa:

— anzitutto la sempre più cosciente partecipazione alla liturgia, come ha indicato il Decreto conciliare sul rinnovamento della vita religiosa: i religiosi, ha detto, « compiano le funzioni liturgiche, soprattutto il sacrosanto mistero dell'Eucaristia, con le disposizioni interne ed esterne volute dalla Chiesa, ed alimentino presso questa ricchissima fonte la propria vita spirituale » (n. 66);

— inoltre, la familiarità con i libri ispirati dell'Antico e, specialmente, del Nuovo Testamento secondo l'invito del Concilio: « Abbiano quotidianamente fra le mani la Sacra Scrittura, affinché dalla lettura e dalla meditazione dei Libri Sacri imparino "la sovremamente scienza di Gesù Cristo" (*Ph 3, 8*)... In tal modo, nutriti alla mensa della divina Legge e del sacro altare, amino fraternalmente le membra di Cristo; con spirito filiale circondino di riverenza e di affetto i pastori; sempre più intensamente vivano e sentano con la Chiesa, e si mettano a completo servizio della sua missione » (*ibidem*);

— infine, raccomandiamo il senso comunitario, che non può certo mancare quando siano posti questi fondamenti così saldi e corroboranti: infatti la liturgia, e soprattutto la vita eucaristica, alimenta essenzialmente la carità dei singoli membri del Corpo Mistico, impedendo alla pietà di anchilosarsi nella sterilità di forme individualistiche

<sup>2</sup> *L'Osservatore Romano*, 18 maggio 1966.

e sentimentali; la conoscenza della Scrittura, inoltre, con gli ampi panorami ch'essa apre sulla storia e sullo sviluppo del Popolo di Dio, non può che dare idee aperte, solide, nutrienti, su questo dovere comunitario. E dove meglio esso può brillare in esempio, che nelle famiglie religiose, le quali fanno della vita comune la loro forma caratteristica, aperta a tutti gli sguardi come testimonianza vivente della presenza di Cristo? *Ubi caritas et amor, Deus ibi est. Congregavit nos in unum Christi amor.* ».

#### EX ALIIS ALLOCUTIONIBUS

##### *Ad Coetum Episcoporum Italiae*<sup>3</sup>

« ... Noi vogliamo ancora esprimere il voto per una saggia, concorde, efficace applicazione della riforma liturgica. Sappiamo bene che l'Episcopato d'Italia ha già dato tante opportune disposizioni e ha già intrapreso tante buone iniziative, affinché questa grande novità conciliare segni per il popolo italiano una vera rinascita di sentimento religioso, un opportuno richiamo alle forme religiose autentiche, un principio nuovo di educazione spirituale, un processo migliore di formazione comunitaria cattolica, un impulso vivificante all'indispensabile e sempre urgente sforzo per l'istruzione religiosa delle vostre popolazioni. Non spendiamo altre parole, ma esprimiamo la Nostra compiacenza per il lavoro incominciato e il Nostro incoraggiamento per il molto che ancora rimane da compiere ».

##### *Ad fideles dioecesis Romanae*<sup>4</sup>

« Noi vi lasceremo questa sola e somma raccomandazione: siate assidui, siate partecipi, siate amorosi della vostra Messa festiva e comunitaria; fate attenzione a Cristo, che si rende presente per rinnovare a vostra salute il suo sacrificio e il suo convito di ineffabile amicizia; fateci in cuor vostro questa promessa: che darete importanza, darete interesse, affezione, fedeltà alla celebrazione della santa Messa; e Noi saremo felici; e Noi saremo sicuri di non avere indarno celebrato con voi la festa del *Corpus Domini* ».

<sup>3</sup> In Audientia Conferentiae Episcoporum Italiae concessa, die 23 iunii 1966. *L'Osservatore Romano*, 24 giugno 1966.

<sup>4</sup> In festo Corporis Christi, post processionem Eucharisticam. *L'Osservatore Romano*, 10-11 giugno 1966.

---

## Acta Consilii

### SUMMARIUM DECRETORUM QUIBUS DELIBERATIONES COETUUM EPISCOPORUM CONFIRMANTUR

(a die 1 mai ad diem 30 iunii 1966)

### EUROPA

#### Gallia

##### V. Decreta particularia:

28. Atrebantensis: (27 maii 1966, Prot. n. 1369/66): confirmatur interpretatio gallica Proprii Missarum dioeceseos.
29. Baionensis (13 maii 1966, Prot. n. 1296/66; 21 iunii 1966, Prot. n. 1849/66): confirmatur interpretatio vasconica Praefationum Missae et textus Proprii Sanctorum Missalis Romani, a die 1 iunii ad diem 26 novembries.
30. Senonensis (4 maii 1966, Prot. n. 1238/66): confirmatur interpretatio gallica Proprii Missarum et Officiorum archidioeceseos.
31. Vivariensis (14 iunii 1966, Prot. n. 1426/66): confirmatur interpretatio gallica Proprii Missarum dioecesoes.

#### Hispania

##### I. Documenta: 11 et 17 maii 1966 (Prot. n. 1239/66 et 1331/66).

##### IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA:** Textus quarundam partium Missalis romani et lectio-narii ferialis a Commissione mixta pro regionibus linguae hispanicae apparati.
3. **BREVIARIA:** Textus psalterii ab eadem Commissione mixta paratus.

**V. Decreta particularia:**

14. Flaviobrigensis (21 iunii 1966, Prot. n. 1848/66): confirmatur interpretatio hispanica et vasconica Proprii Missae B. Valentini de Berrio-Ochoa, et interpretatio vasconica quorundam psalmorum.

**Italia**

**V. Decreta particularia:**

38. Basilicae S. Antonii in Padua (21 maii 1966, Prot. n. 1284/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum in festo S. Antonii et in translatione eiusdem corporis.
39. Cremensis (23 maii 1966, Prot. n. 1347/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
40. Florentinae (31 maii 1966; Prot. n. 1343/66): confirmatur interpretatio italica proprii Missarum archidioeceseos.
41. Interamnensis et Narniensis (27 maii 1966, Prot. n. 1395/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioecesium.
42. Lunensis (2 maii 1966, Prot. n. 1228/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.
43. Papiensis (31 maii 1966, Prot. n. 1414/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missarum dioeceseos.

**Iugoslavia**

**V. Decreta particularia:**

10. Scopiensis (6 maii 1966, Prot. n. 1267/66): confirmatur interpretatio albanensis Missalis romani a P. D. GJEÇAJ apparata (1966) et ab Ordinario proposita.

**Polonia**

**I. Documenta:** 3 maii 1966 (Prot. n. 1251/66).

**III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:**

1. IN MISSA: praefatio, acclamations, salutationes, formulae dialogi.

## AFRICA

---

### Africa Aequatorialis

#### V. Decreta particularia:

9. Arcis Archambault in Ciadia (27 iunii 1966, Prot. n. 1869/66):  
confirmatur interpretatio lingua mboyes Missalis romani.

### Ruanda-Burundia

#### I. Documenta: 20 iunii 1966 (Prot. n. 1842/66).

#### IV. Interpretationes populares adhibendae:

##### 1. MISSALIA:

lingua kinyarwandensi: liber missalis qui inscribitur *Missale y' Ibyumeru*.

### Zambia

#### I. Documenta: 27 iunii 1966 (Prot. n. 1871/66).

#### IV. Interpretationes populares adhibendae:

##### 1. MISSALIA:

lingua sirozi: Textus Proprii Missae a dom. VIII ad dom. XXIV post Pentecosten.

## AMERICA

---

### America Centralis

#### V. Decreta particularia:

3. Honduras (20 iunii 1966, Prot. n. 1823/66): confirmatur interpretatio hispanica Propriorum dioecesium Nationis.

## Canada

### V. Decreta particularia:

2. **Sinus de Hudson** (Vicariatus Ap.): 23 iunii 1966 (Prot. n. 1447/66): confirmatur interpretatio aesquimensis lectionarii pro dominicis et diebus festis.

## Dominicana Respublica

### I. Documenta: 14 iunii 1966 (Prot. n. 1424/66).

### IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA**: Textus lectionum quae in nova editione missalis a NACAR-COLUNGA confecti invenitur.

## Mexicum

### I. Documenta: 22 iunii 1966 (Prot. n. 1843/66).

### IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA**: Textus Proprii Missarum dioecesium Queretarensis, Leonensis, S. Ludovici Potosiensis, Tlaxcalensis, Chiapasensis.

---

## OCEANIA

---

## Australia

### I. Documenta: 14 iunii 1966 (Prot. n. 1436/66).

### IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. **MISSALIA**: Textus ritus benedictionis et consecrationis Oleorum qui invenitur in Appendice Missalis *Sacramentary*, a Coetu Episcoporum Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis ap-

probati; versio Sacrae Scripturae: *Revised standard Version, Catholic edition.*

2. RITUALIA: Textus benedictionis apostolicae et benedictionis episcopalnis a Coetu Episcoporum propositus.

## Nova Guinea

- I. Documenta: 14 iunii 1966 (Prot. n. 1286/66).

- III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: Oratio super oblata, embolismus orationis dominicae.

- IV. Interpretationes populares adhibendae:

### LECTIONARIA:

lingua anglica: Versio novi testamenti a KINSLEY-WILLIAMS parata, et *Revised standard version, Catholic edition.*

lingua neomelanesiana: Versiones a Coetu Episcoporum approbatae.

- V. Decreta particularia:

3. Mendiensis (Vicariatus Apost.): 21 iunii 1966 (Prot. n. 1847/66): confirmatur interpretatio lingua karij agal Ordinarii Missae.
4. Montis Hagen (Vicariatus Apost.): 14 iunii 1966 (Prot. n. 1286/66): confirmatur interpretatio lingua mogei Ordinarii Missae.

## Nova Zelandia

- I. Documenta: 16 maii 1966 (Prot. n. 1312/66).

- IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA:

lingua maori: Textus Ordinarii Missae Proprietatis Missarum pro sponsis et pro defunctis a Coetu episcoporum propositi.

2. RITUALIA: Textus formae Unctionis infirmorum.

## Lingua « Esperanto »

I. Documenta: 14 iunii 1966 (Prot. n. 1213/66).

III. Partes quae lingua vernacula proferri possunt:

1. IN MISSA: lectiones et oratio fidelium.

IV. Interpretationes populares adhibendae:

1. MISSALIA: Textus lectionum quarundam dominicarum post Pentecosten et dierum ferialium mensis iunii.

## SUMMARIUM DECRETORUM QUIBUS CONFIRMANTUR INTERPRETATIONES POPULARES PROPRIORUM RELIGIOSORUM

(a die 1 maii ad 30 iunii 1966)

Monasterium Montserratii  
Congregationis Sublacensis OSB

1. Die 17 maii 1966 (Prot. n. 1328/66): confirmatur interpretatio catalaunica Proprii Missarum Monasterii, necnon interpretationes hispanica, italica, anglica, germanica, gallica Missae B. M. V. de Monteserrato.

Ordo Sanctae Crucis

CIVITATES FOEDERATAE AMERICAE SEPTENTRIONALIS

1. Die 22 iunii 1966 (Prot. n. 1859/66): confirmatur interpretatio anglica Proprii Officiorum Ordinis.

Ordo Fratrum Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmelo

CIVITATES FOEDERATAE AMERICAE SEPTENTRIONALIS

5. Die 7 maii 1966 (Prot. n. 1221/66): confirmatur interpretatio anglica Proprii Officiorum Ordinis et quorundam festorum pro aliquibus locis.

Societas Iesu

PROVINCIAE LINGuae FLANDRICAe

2. Die 14 iunii 1966 (Prot. n. 1462/66): confirmatur interpretatio flandrica Proprii Missarum Societatis.

Ordo clericorum regularium a Somascha

1. Die 7 maii 1966 (Prot. n. 1272/66): confirmatur interpretatio anglica Proprii Officiorum Congregationis.

Congregatio SS. Crucis et Passionis D. N. I. C.

PROVINCIAE LINGuae ANGLICAE

3. Die 20 iunii 1966 (Prot. n. 1845/66): confirmatur interpretatio anglica Proprii Officiorum Congregationis.

Congregatio presbyterorum a SS.mo Sacramento

PROVINCIAE LINGuae GALLICAE

2. Die 6 maii 1966 (Prot. n. 1268/66): confirmatur interpretatio gallica tertiae lectionis unici nocturni Officii S. Petri Iuliani Eymard et evangelii Missae eiusdem Sancti.

Congregatio « Parvum opus Divinae Providentiae »

ITALIA

1. Die 20 iunii 1966 (Prot. n. 1824/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missae B. M. V. de Myrteto seu de Hortonovo.

Congregatio Missionis

PROVINCIAE LINGuae ANGLICAE

7. Die 23 maii 1966 (Prot. n. 1366/66): confirmatur interpretatio anglica Proprii Officiorum Congregationis.

**Congregatio Fratrum B. M. V. a Misericordia****ITALIA**

1. Die 18 maii 1966 (Prot. n. 1342/66): confirmatur interpretatio italica Proprii Missae B. M. Virginis a Misericordia.

**Clarissae Secundi Ordinis Sancti Francisci****ALGERIA**

1. Die 3 maii 1966 (Prot. n. 1115/66): confirmatur interpretatio gallica ritualis Clarissarum Secundi Ordinis S. Francisci.

**Institutum Ancillarum SS. Cordis Iesu**

1. Die 9 maii 1966 (Prot. n. 1270/66): confirmatur interpretatio anglica, hispanica, italica et gallica Proprii Officii B. Raphaëlae M. a Sacro Corde Iesu.

**Societas Mariae Nostrae Dominae**

1. Die 10 maii 1966 (Prot. n. 1237/66): confirmatur interpretatio anglica, hispanica, italica et gallica Proprii Missae S. Ioannae de Lestonnac.

**Sorores v. « De Notre-Dame de Charité du Bon Pasteur d'Angers »****GALLIA**

1. Die 3 maii 1966 (Prot. n. 1201/66): confirmatur interpretatio gallica Missarum S. Mariae Euphrasiae Pelletier et Nostrae Dominae a Bono Pastore, et quarundam orationum Officii B. M. Virginis, quae in *Missel romain latin-français* non inveniuntur.

## LABORES COETUUM A STUDIIS

### De recognitione Ritualis Romani

(Prof. B. Fischer; P. P. Gy, O.P.)

Recognitio Ritualis Romani ad tria attendere debet:

- ad indolem propriam futuri Ritualis Romani;
- ad normas generales instauratiois liturgicae;
- ad ea quae Concilium decrevit in specie de aliquibus Sacramentorum et Sacramentalium ritibus.

#### I. CHARACTER PROPRIUS NOVI RITUALIS ROMANI

##### 1. *Relatio inter futurum Rituale Romanum et Ritualia particularia*

Constitutio ipsa aptationes praevidet pro Ritualibus particularibus, ita ut novum Rituale Romanum, quamvis in se completum, debeat etiam praeparari tamquam norma et typus pro Ritualibus particularibus postea exarandis. Sic dicit art. 63 b) Constitutionis:

« Iuxta novam Ritualis Romani editionem, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus, etiam quoad linguam, accommodata, a competenti ecclesiastica auctoritate territoriali, de qua in art. 22, 2 huius Constitutionis, quam primum parentur, et Actis ab Apostolica Sede recognitis, in regionibus ad quas pertinet adhibeantur ».

Ergo, servata substantiali unitate ritus romani (art. 38) etiam quoad Rituale, hic specialiter locum relinquere oportet legitimis varietatibus et aptationibus.

Notandum est talem relationem inter Rituale Romanum et Ritualia particularia non esse aliquid novum, sed meliorem coordinationem et organizationem praxeos a multo tempore vigentis. Nam, aliter ac pro ceteris libris liturgicis, Rituale Romanum ex voluntate Pauli V numquam pro tota Ecclesia Latina praeceptivum fuit. De facto multa Ritualia particularia in usu remanserunt usque nunc et specialiter ultimis temporibus nova Ritualia praeparata sunt et ab Apostolica Sede approbata. Secundum novam disciplinam conciliarem et aptationes locum habebunt et debita coordinatio ac substantialis unitas efficacius obtinebitur.

*2. Speciale momentum aptationis in campo Ritualis*

Cum Constitutio de aptatione liturgica loquitur, praesertim e Rituale exemplum sumit. Ita art. 39:

« Intra limites in editionibus typicis librorum liturgicorum statutos, erit competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22, 2, aptationes definire, praesertim quoad administrationem Sacramentorum, quoad Sacramentalia, processiones ... ».

Mentio etiam fit de aptationibus in specie pro Baptismo (65, 68), pro Matrimonio (77), pro novis Sacramentalibus (79 a), pro exequiis (81).

Ergo, praehabita quadam inquisitione de necessitatibus pastoralibus hodiernis in mundo catholico, novum Rituale ambitum aptationum clare circumscribere debet, ita ut inter limites statutos auctoritates territoriales aptationes definire possint ad normam art. 39.

Aptationes supradictae, in ipso Rituale praevidendae, sunt aptationes ordinariae uti iam assignatae sunt in Ordine Baptismi adulorum a S. Rituum Congregatione anno 1962 publicato. Si adhuc remanerent difficultates, auctoritates territoriales recurrere possunt ad art. 40 de profundiore aptatione, sicut pro aliis Liturgiae partibus.

De limitibus aptationis, de quibus agitur in art. 63 et 39, nihil dictum est in relationibus conciliaribus. Tota res relictta est Consilio post-conciliari. Non videtur a priori solvenda, sed post maturum studium in diversis casibus diversimode determinanda.

Forsitan haud inutile erit hic dare exemplum, e ritu exsequiarum desumptum. Usque nunc Rituale Romanum unicum ritum exsequalem praebet, complectens primam stationem in domo defuncti, processionem ad ecclesiam, stationem in ecclesia cum Missa et absolutione, deinde processionem ad coemeterium et stationem ad tumulum. Hic ritus integer est in usu in aliquibus nationibus, saltem rudi et in minoribus civitatibus, sed alibi viget magna diversitas. Aliquis in locis, sacerdos domum defuncti vel etiam coemeterium adire non potest; sunt etiam nationes in quibus, propter legem civilem vel alias circumstantias, statio in ecclesia fieri nequit et exsequiae unice in coemeterio celebrantur; alibi, propter magnas distantias, fiunt exsequiae unice in domo defuncti. Ergo, uti iam factum est in aliquibus Ritualibus particularibus, v. g. pro Germania et Polonia, Rituale Romanum videtur duobus vel tribus schematibus exsequiarum instruendum, ita tamen ut auctoritates territoriales possint unum schema seli-

gere vel aptare, vel illas formas exsequiarum pro sua dicione excludere quae inutiles essent vel etiam perturbationem gignerent, v. g. exequias sine statione in ecclesia in natione in qua missa exsequialis semper praesente cadavere celebratur.

### *3. Instructiones singulis ritibus praeponendae*

Constitutio specialiter extollit momentum instructionum quae habentur in initio uniuscuiusque tituli Ritualis ac locum habere debent tam in futuro Rituali Romano, quam in singulis Ritualibus particularibus. Sic dicit art. 63 b): « In iis autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali Romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent ».

Hic plura sunt animadvertisenda:

a) Instructiones pastorales, quae sunt quasi gloria reformatio-  
nis liturgicae posttridentinae, ita recognoscendae sunt ut etiam respon-  
deant spiritui Concilii Vaticani II et circumstantiis pastoralibus ho-  
diernis.

Instructiones illae, possent praebere themata generalia catecheseos  
pro diversis Sacramentis celebrandis.

b) Instructiones sint potissimum pastorales, tamen non omit-  
tantur praecipuae regulae canonicae de Sacramentis.

c) Ad normam Constitutionis instructiones in Rituali Romano  
singulis ritibus praeponendae in Ritualibus particularibus conficiendis  
non sunt omittendae. Sed neque hic videntur aptationes excludendae  
pro variis regionum necessitatibus, una cum actis postea ab Aposto-  
lica Sede recognoscendae.

d) In his instructionibus, secundum supra citatum art. 63 b)  
momentum speciale attribuendum est iis elementis, e quibus eluceat  
indoles ecclesiastis Sacmentorum.

## II. NORMAE GENERALES INSTAURATIONIS LITURGICAE IN RITUALIS RECOGNITIONE SERVANDAE

Norma fundamentalis et specialis methodus totius laboris indi-  
catur in art. 23 Constitutionis: « Ut sana traditio retineatur et tamen  
via legitimae progressioni aperiatur, de singulis Liturgiae partibus reco-  
gnoscendis accurata investigatio theologica, historica, pastoralis sem-

per praecedat. Insuper, considerentur cum leges generales structuae et mentis Liturgiae, tum experientia ex recentiore instauratione liturgica et ex indultis passim concessis promanans. Innovationes, demum, ne fiant nisi vera et certa utilitas Ecclesiae id exigat, et adhibita cautela ut novae formae ex formis iam exstantibus organice quodammodo crescant ».

In capite primo Constitutionis hae etiam normae praescribuntur, quas sufficit enumerare, cum omnibus notae sint:

- a) Celebratio communis preeferenda (art. 27, in quo de Sacramentis specialis fit mentio);
- b) Actuosa participatio populi omnimode fovenda et etiam in rubricis preevidenda (art. 30, 31);
- c) Nulla privatuarum personarum aut conditionum acceptio habenda (art. 32);
- d) Ritus simplices nec multis indigentes explanationibus (art. 34);
- e) Lectio Sacrae Scripturae abundantior instauranda (art. 35, 1);
- f) Preevidendae monitiones vel locus sermonis notandus (art. 35, 2-3).

### III. DE ALIQUIBUS SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM RITIBUS IN SPECIE

#### 1. *De Baptismo*

Inter omnia Sacraenta nullum praeter Eucharistiam tam magni momenti ac Baptismus est, et inde nullum a Constitutione tam fuse tractatur.

a) Quoad catechumenatum et baptismum adultorum haec a Constitutione tanguntur:

1. Ritus catechumenatus plene recognoscendus (art. 64).
2. Aptationes in terris missionum faciendae (art. 65).
3. Duplex ritus baptizandi adultos cum sollemnior tum simplicior sine catechumenatu (art. 66 b).
4. Missa propria « in collatione Baptismi » in Missali Romano inserenda (art. 66 b).

Liceat aliquid in specie de tribus prioribus punctis adnotare:

1) Catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, per tentibus Episcopis tam Missionum quam Europae, iam tempore pree-

parationis Concilii a S. Rituum Congregatione instauratus est, et feli-citer, ne nimis retardaretur applicatio illius principii tam magni mo-menti de « sanctificatione temporis catechumenatus sacris ritibus suc-cessivis temporibus celebrandis » (art. 64). Adhuc restat ut ipsi ritus iam nunc successivis temporibus celebrati plenae revisioni subciantur ad mentem generalis instauracionis.

2) Circa aptationes in terris missionum facendas et iam pro parte in novo Ordine catechumenatus praevisas considerandum erit quaenam sint aptationes ordinariae, de quibus in art. 39, quaenam aptationes profundiores de quibus in art. 40.

3) Quoad duplē ritum baptismi adulorum, scilicet solle-mniorem cum catechumenatu et simpliciorem sine catechumenatu, ex-a-minanda erunt ea quae proponebat Commissio p̄aeconciliaris:

*Quoad ritum sollemniorum:*

- ritus singulorum graduum fieri possint inter liturgiam verbi;
- aptae lectiones e Sacra Scriptura inserantur;
- series orationum et exorcismorum eo modo sint ordinatae, ut progressus catechumeni ad baptismum excitetur et clarius in dies appareat;
- pauciores fiant vel omnino omittantur iuxta prudens iudicium conferentiae episcopalis illac caeremoniae, quac iuxta locorum usus vel personarum indolem sensum minus rectum habere possent;
- collatio baptismi, in quantum fieri potest, fiat in vigilia pa-schali coram omnibus aliis fidelibus;
- sacerdos qui adultum baptizat possit etiam de mandato epi-scopi neophyto Confirmationem conferre ut completa initiatio christiana adulti statim habeatur.

*Quoad ritum simpliciorem:*

« retineat schema traditionale, nempe tria momenta antiqueae praeparationis ad baptismum, introductionem ad catechumenatum, traditionem et redditionem symboli et orationis dominicae, ablutionem sacramentalem cum caeremoniis immediate praecedentibus et sub-sequentibus, omissis, ut supra dictum est, omittendis ».

b) *Pro recognitione ritus baptizandi parvulos* art. 67 duo no-tavit in specie:

- 1) Ritus verae infantium condicioni accommodetur.
- 2) Partes etiam parentum et patrinorum eorumque officia in ipso rito magis patcent.

Prius punctum ita commentatur Commissio praecconciliaris: « Ordo baptismi parvorum in Ritu Romano exhibitus, etsi ut ritus pro parvulis indicatur, talibus formulis et caeremoniis constat, ut revera congruat adulto, qui sit suae intelligentiae et voluntatis plene compos. Hoc non obstante ritus ille retinendus videtur cum quibusdam tamen emendationibus scilicet:

1. omittantur:

*a)* orationes, quibus memoratur catechumeni progressus usque ad recipiendum baptismum;

*b)* corumdem rituum repetitiones sicut diversi exorcismi, quorum multiplicitas a prisca eorum distributione per successiva tempora originem dicit;

*c)* aliqui ritus minus apti.

2. Instauretur quoque aliqua traditio evangelii per lectionem cuiusdam pericopae evangelicae ».

Circa partem parentum et patrinorum, considerandum erit, quomodo illorum partes exprimendae sint, e.g. admonitione de eorum officiis vel etiam aliis modis inveniendis, et quomodo partes sint distribuendae, quid attribuendum parentibus, quid patrinis.

*c) Quaestiones diversae cum celebratione Baptismi connexae*

1) Accommodationes in ritu pro magno baptizandorum concursu (art. 68).

2) Novus ordo Baptismi in periculo mortis (art. 69). Iuxta Commissionem Conciliarem « non agitur de casu, in quo aliquis inventur in articulo mortis, quando unusquisque potest eum baptizare adhibita sola forma sacramenti et applicata materia, sed agitur solum de periculo mortis absente sacerdote et diacono ».

3) Novus ordo conficiendus pro recipiendo in Ecclesia infante qui ritu brevi iam baptizatus fuerit (art. 69). Ita rem relineat Commissio praecconciliaris:

« Quaedam partes, sicut exorcismi, hic iam non videntur esse ad rem. Immo totus ritus apte substituendus esset per novum ordinem cuius partes esse possent:

*a)* receptio infantis a sacerdote ad ianuam ecclesiae;

*b)* redditio symboli et orationis dominicae a parentibus seu patrinis facta;

*c)* sponsiones ab ipsis datae de christiana pueri educatione;

- d) lectio evangelica (e. g. *Mt 5, 1-12*);
- e) unctio chrismatis nisi iam facta fuerit;
- f) traditio vestis albae et candelae accensae;
- g) benedictio sacerdotis ».

4) Novus ordo admissionis in Ecclesiam valide baptizatorum ad sacra catholica conversorum (art. 69).

5) Formula brevis benedictionis aquae baptismalis in ipso ritu baptismi inserenda (art. 70). Hac de re recolenda est declaratio Commissionis praecconciliaris:

« Ritus enim baptismi obscurus aliquomodo evadit, cum numquam, praeterquam in Vigilia paschali, compleatur per splendidam expositionem mysterii aquae quae legitur in praefatione ad benedicendum fontem. Sic optatur ut pluries in anno, benedici possit aqua, ex. gr. pro baptismis collectivis.

Ceterum mos benedicendi aquam baptismalem una tantum vice quolibet anno non invaluit nisi in fine medii aevi ».

### *3. De communione infirmorum et viatico*

Cum art. 25 et 62 certe etiam respiciant ritus, quibus infirmis et moribundis s. Communio administratur, de eorum recognitione iuxta mentem eorum, quae supra sub I et II dicta sunt, providebitur, quamquam Concilium de his ritibus nil speciale determinavit.

Ritus autem viatici, opportune recognitus, videtur inter ritus mortis christiane potiusquam in Titulo de s. Communione inserendus.

### *4. De Paenitentia*

Quae in art. 72 de natura sacramenti Paenitentiae clarius exprimenda dicuntur, secundum Commissionem Conciliarem intelligenda sunt de indole sociali et ecclesiensi huius sacramenti. Inter media apta ad hanc indolem inculcandam iam Commissio praecconciliaris in declaratione sua enumeravit restorationem (in quantum possibile est) venerabilis impositionis manus, qua ex antiquissimis temporibus communio cum Ecclesia in Paenitentia restituta significatur.

Insuper investigandum erit de aptis mediis ad inculcandam indolem ecclesiam Paenitentiae, e. gr. sacris Verbi Dei celebrationibus, iuxta mentem art. 35, 4. Cavendum tamen erit, ne difficilior reddatur accessus ad sacramentum, iuxta responsum, quod sub n. 55 in Relatione de modis alicui Patri datum est, qui hac de re dubium moverat.

### 5. *De Unctione infirmorum*

Circa hoc sacramentum Constitutio quattuor consideravit, scilicet:

- a) nomen sacramenti (art. 73);
- b) tempus opportunum id recipiendi (art. 73);
- c) ordinem inter Unctionem et Viaticum (art. 74);
- d) ipsum ritum Unctionis (art. 75).

De duobus prioribus punctis textus conciliaris est clarus. Quoad tertium, scilicet de ordine continuo infirmum muniendi Sacmentis, hic Ordo iam adest in *Instructione*, n. 66.

Quoad quartum punctum; art. 75 Constitutionis duo mandavit:

- 1) Unctionum numerus pro opportunitate accommodetur.
- 2) Orationes ad ritum Unctionis infirmorum pertinentes ita recognoscantur, ut respondeant variis condicionibus infirmorum qui sacramentum recipient.

Prior pars articuli numquam discussa est nec commentata in Aula conciliari. Rei attente studendum est, cum totus ritus Unctionis infirmorum secundum Rituale Romanum, et etiam forma sacramentalis, unctiones in organis sensuum factas supponat. Cautē investigandum videtur, utrum haec forma sacramentalis ita evolvi possit, ut etiam aspectum positivum sacramenti in luce ponat.

Alteram partem articuli sic explanat Commissio praeconciliaris:

« In orationibus, quas exhibit Rituale Romanum, petitur unice sanatio infirmi: quod semper non congruit, scilicet quando sacramentum administratur aut moribundo iam in extremis, aut infirmo gravi absque prudenti spe sanationis. Item formulae magis aptae desiderantur cum Sacrementum confertur homini aetate iam proiecto, vel iuveni ».

Talis aptatio ritus secundum varias condiciones infirmorum videatur ita in proxim deducenda ut non faveat abusui Unctionem ministrandi nonnisi his qui in extremo periculo vitae versantur.

Secundum Rituale posttridentinum, *Modus iuvandi morientes*, *Ritus Benedictionis Apostolicae in articulo mortis*, *Ordo commendationis animae*, et *Preces tempore expiracionis*, pertinent ad Titulum « De extrema Unctione ». Hoc minus concordare videtur cum iis quae a Concilio de hoc Sacramento dicta sunt. Ideo isti ritus, opportune revisi, a Titulo de Unctione seiungendi videntur ita ut simul cum ritu Viatici novum Titulum « de morte christiana » efforment, quo in Titulo forsitan inseri possent Exsequiae.

Item considerandum erit quomodo preces pro morientibus, deficiente sacerdote, a laicis fieri possint, ad normam art. 79, et secundum exemplum aliquorum Ritualium iam approbatorum.

#### *6. De Exsequiis*

Pro revisione ritus exequialis cum adulorum tum parvolorum Constitutio quattuor specialiter mandat:

- a) ut manifestius exprimatur indoles paschalis mortis christiana;
- b) ut ritus melius respondeat condicionibus et traditionibus singularium regionum;
- c) in specie ut color liturgicus Exsequiarum aptetur;
- d) ut Exsequiae parvolorum propria Missa donentur.

Primum punctum ita commentatur Commissio praecconciliaris:

« Conceptus mortis, qui ex formulariis eruitur, non exhibet doctrinam spe plenam, quam Ecclesia tenet de morte christiana. Quaedam, praesertim responsoria et lectiones Officii defunctorum, sunt nimis tetra et angustiis referta ».

In ritu ergo funerario desideratur ut amplior locus obtineant textus qui sensum paschalem mortis christiana exprimunt ad efficacius manifestandam fidem Ecclesiae in resurrectione, et ut maior varietas habeatur in formulariis.

Quoad secundum punctum, prae oculis habendae sunt variae condiciones locorum de quibus supra dictum est. Praeterea utile videtur ut, ad normam art. 40, 1 « a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22, 2, sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune » in ritu Exsequiarum admitti possit.

Circa tertium punctum notandum est verba « etiam quoad colorem liturgicum » esse emendationem a Patribus conciliaribus expetitam, qui aestimaverunt colorem nigrum esse indoli paschali mortis christiana contrarium.

#### *7. De Matrimonio*

Tria distinguuntur in art. 77:

- a) recognitio ritus celebrandi Matrimonium in Rituali Romano;
- b) retinendae laudabiles consuetudines;
- c) facultas exarandi ritum proprium competenti auctoritati territoriali relicta.

Pro Matrimonio enim adhuc maior datur libertas quoad Ritualia particularia et aptationem quam pro aliis Sacramentis.

Consideranda videntur, quae in Aula conciliari de recognoscendo usu benedictionis unius tantum anuli et de revisenda formula « ego coniungo vos » dicta sunt.

Quoad emendationem orationis super sponsam de qua in art. 78, prae oculis habenda sunt, verba Commissionis Conciliaris « sine mutatione radicali in natura antiquissimae benedictionis solius sponsae, saltem partem huius benedictionis, quae loquitur de fidelitate coniugali servanda, ad utrumque sponsum referatur ».

Quoad Sacramentum Matrimonii sine Missa celebrandum, investigandum erit de possibilitate varietatis in lectionibus iuxta mentem art. 35, 1 (quod etiam veleret intra Missam) et de ditione formula benedictionis (iam invenitur in quibusdam Ritualibus particularibus).

#### *8. De Sacramentalibus et specialiter de Benedictionibus*

Quattuor ultimi Tituli hodierni Ritualis Romani pertinent ad Sacramentalia. Liceat illos generatim tractare, ad normam art. 79 Constitutionis, in quo quatuor puncta considerantur:

a) *Recognitio Sacramentalium.* In benedictionibus recognoscendis considerandum erit:

— quomodo normae generales liturgicae instauracionis etiam benedictionibus applicari possint, specialiter quoad participationem actuosam et rectas animi dispositiones fidelium, quoad spiritum biblium benedictionum, forsitan per aliqualem lectionem S. Scripturae et aptas monitiones;

— an inter tam numerosas benedictiones hodierni Ritualis sint omnes retinendae necne;

— an requirantur novae benedictiones vere generalis momenti.

b) *Institutio novorum Sacramentalium.*

Quoad facultatem auctoritatis territorialis nova Sacramentalia instituendi, memoretur responsio Commissionis Conciliaris:

« Alii Patres petierunt ut potestas Episcoporum nova Sacramentalia inducendi agnoscatur. Commissio censet huic quaestioni iam pro visum esse in capite I huius Constitutionis, a Patribus approbat, art. 37-40 ».

Ergo novum Rituale Romanum huiusmodi potestatem agnoscat etiam inter aptationes ordinarias, ad normam art. 39, praebendo aptas directiones pro novis benedictionibus parandis.

c) *Reductio numeri benedictionum reservatarum.* Iam facta est in *Instructione diei 26 sept. 1964, n. 80.*

d) *Sacramentalia quaedam a laicis ministranda.* Considerandum erit quae benedictiones a laicis qualificatis ministrari possint.

### *9. De ritu professionis religiosae*

Art. 80 Constitutionis duplex mandatum continet:

— ut ritus consecrationis virginum, qui in Pontificali Romano habetur, recognitioni subiciatur;

— ut conficiatur praeterea ritus professionis religiosae. Hic novus ritus, inter Sacramentalia adnumerandus, inserendus videtur in futura editione Ritualis Romani.

Variae quaestiones circa hunc novum ritum exstant:

a) an novus ritus duplex esse debeat, unus pro viris alter pro mulieribus, cum haud raro ritus professionis religiosarum in aliquibus pernobilem ritum consecrationis virginum imitari soleat;

b) an conveniat relinquere possibilitatem addendi aliqua elementa particularia communi schemati, quae indolem propriam cuiusque Instituti in luce ponant;

c) quonam loco vel quibusnam locis Missae professio religiosa fieri debeat, cum triplex traditio existat: post graduale (consecratio virginum), tempore offertorii (professio monastica), tempore communionis coram hostia consecrata (professio Societatis Iesu);

d) an omnes ritus particulares professionis intra Missam sint retinendi, vel, ubi casus fert, ad mentem novi ritus recognoscendi;

e) an ritus professionis extra Missam hodie extantes sint etiam ad mentem instauracionis liturgicae recognoscendi, cum de illis nihil in Constitutione dicatur.

---

## IN NOSTRA FAMILIA

### LAETA

Rev.mo P. Godefrido Diekmann, OSB, ex Abbatia Collegeville (U.S.A.), Consultori « Consilii », praemium « Cardinal Spellman » pro anno 1965 tributus est ab « American Catholic Theological Society ».

### TRISTIA

Die 22 iunii 1966 ad caelestem patriam peragravit Exc.mus DD. Emmanuel Larraín Errázuris, Episcopus Talcensis in Chilia, Praeses CELAM et Praeses pro America Latina Commissionis mixtae ad unicam versionem textuum liturgicorum pro regionibus linguae hispanicae apparandam.

# Actuositas Coetuum Episcoporum

## **LIBRI LITURGICI OFFICIALES**

**CIVITATES FOEDERATAE AMERICAE SEPTENTRIONALIS**

### **Excerpt from the rites of Ordination**

Editor: Bishop's Commission on the Liturgical Apostolate, Washington 1966.

19,5×28 cm., 24 pp.

**CONTENTUM:** The Tonsure of clerics; the ordination of Porters; the ordination of Lectors, the ordination of Exorcists, the ordination of Acolytes; the ordination of Subdeacons; the ordination of Deacons; the ordination of Priests.

### **The roman Missal in latin and english for Holy Week and Easter Week.**

*Including the Mass of the Chrism with the blessing of the Oils.*

Versio approbata a Coetu Episcoporum et ab Apostolica Sede confirmata.

Editor: The Liturgical Press, Collegeville 1966.

22×31 cm., 268 pp.

**CONTENTUM:** Dominica secunda Passionis seu in Palmis; feria II Hebdomadae Sanctae; feria II Hebdomadae Sanctae; feria IV Hebdomadae Sanctae; Ordo Missae; feria V in Cena Domini, de Missa Chrismatis, de Ritu benedicendi Oleum Catechumenorum et infirmorum et conficiendi Chrisma; De Missa vespertina in Cena Domini; feria VI in Passione et Morte Domini: De solemni actione liturgica postmeridiana in Passione et Morte Domini; Sabbato Sancto: De Vigilia Paschali; Tempus Paschatis: De Missa solemni Vigiliae paschalis, Praefatio Paschalis; Canon Missae a Missa Vigiliae paschalis usque ad Sabbatum in Albis; Dominica Resurrectionis; Proprium a feria II ad Dom. in Albis; The chants of the Mass (Instructio desumpta a *The English-Latin Sacramentary* circa modum cantandi textuum celebrantis et ministrorum).

CONCILII VATICANI II TEXTUS EUCHARISTICI

cura I. Lécuyer collecti

*A meditatione de mysterio Ecclesiae, cui Concilium Oecumenicum Vaticanum II incubuit, profundior quoque orta est consideratio mysterii eucharistici, quod intima necessitudine cum Ecclesia connectitur. Pluries ergo Concilium de mysterio eucharistico, liturgiae et vitae christianaee capite et velenuti centro, locutum est.*

*Textus eucharistici qui in Concilii Documentis reperiuntur hic colliguntur, ut varii aspectus quo mysterium eucharisticum consideratur, p[re] oculis facilius habeantur.*

CONSTITUTIO DE SACRA LITURGIA

1. Liturgia enim, per quam, maxime in divino Eucharistiae Sacrificio, « opus nostrae Redemptionis exercetur », summe eo confert ut fideles vivendo exprimant et aliis manifestent mysterium Christi et genuinam verae Ecclesiae naturam ... (n. 2).

2. Similiter quotiescumque dominicam cenam manducant, mortem Domini annuntiant donec veniat ... Eucharistiam celebrando in qua mortis eius victoria et triumphus repraesentatur ... (n. 6).

3. Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. Praesens adest in Missae Sacrificio cum in ministri persona, « idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit », tum maxime sub speciebus eucharisticis. (n. 7).

4. Labores apostolici ad id ordinantur ut omnes, per fidem et Baptismum filii Dei facti, in unum conveniant, in medio Ecclesiae Deum laudent, Sacrificium participant et cenam dominicam manducent. Vicissim ipsa Liturgia impellit fideles ut « sacramentis paschалиbus » satiati fiant « pietate concordes »; orat ut « vivendo teneant quod fide percepérunt »; renovatio vero foederis Domini cum hominibus in Eucharistia fideles in urgentem caritatem Christi trahit et accendit. Ex Liturgia ergo, praeципue ex Eucharistia, ut e fonte, gratia in nos derivatur et maxima cum efficacia obtinetur illa in Christo hominum sanctificatio et Dei glorificatio, ad quam, uti ad finem, omnia alia Ecclesiae opera contendunt (n. 10).

5. Actiones liturgicae non sunt actiones privatae, sed ... ad universum Corpus Ecclesiae pertinent illudque manifestant et afficiunt; singula vero membra ipsius diverso modo, pro diversitate ordinum, munerum et actualis participationis attingunt (n. 26).

6. Quoties ritus, iuxta propriam cuiusque naturam, secum ferunt celebrationem communem, cum frequentia et actuosa participatione fidelium, inculcetur hanc, in quantum fieri potest, esse praferendam celebrationi eorumdem singulari et quasi privatae. Quod valet praesertim pro Missae celebratione, salva semper natura publica et sociali cuiusvis Missae, et pro Sacramentorum administratione (n. 27).

7. Quare omnes vitam liturgicam dioeceseos circa Episcopum, praesertim in ecclesia cathedrali, maximi faciant oportet: sibi persuasum habentes praecipuam manifestationem Ecclesiae haberi in plenaria et actuosa participatione totius plebis sanctae Dei in iisdem celebrationibus liturgicis, praesertim in eadem Eucharistia, in una oratione, ad unum altare cui praeeст Episcopus a suo presbyterio et ministris circumdatus (n. 41).

8. ... adlaborandum ut sensus communitatis paroecialis, imprimis vero in communi celebratione Missae dominicalis, floreat (n. 42).

9. *Totum Caput II Constitutionis a n. 47 ad n. 58.*

10. Mysterium paschale Ecclesia, ex traditione apostolica quae originem dicit ab ipsa die Resurrectionis Christi, octava quaque die celebrat, quae dies Domini seu dies dominica merito nuncupatur. Hac enim die christifideles in unum convenire debent ut, verbum Dei audientes et Eucharistiam participantes, memores sint Passionis, Resurrectionis et gloriae Domini Iesu ... (n. 106).

#### CONSTITUTIO DOGMATICA DE ECCLESIA

11. Quoties sacrificium crucis, quo « Pascha nostrum immolatus est Christus », in altari celebratur, opus nostrae redemptionis exercetur. Simul sacramento panis eucharistici repraesentatur et efficitur unitas fidelium, qui unum corpus in Christo constituunt (n. 3).

12. In fractione panis eucharistici de Corpore Domini realiter participant, ad communionem cum Eo ac inter nos elevamur. « Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane

participamus ». Ita nos omnes membra illius Corporis efficimur, « singuli autem alter alterius membra » (n. 7).

13. Sacerdos quidem ministerialis, potestate sacra qua gaudet, populum sacerdotalem efformat ac regit, sacrificium eucharisticum in persona Christi conficit illudque nomine totius populi Deo offert; fideles vero, vi regalis sui sacerdotii, in oblationem Eucharistiae concurrunt (n. 10).

14. Sacrificium eucharisticum, totius vitae christianaे fontem et culmen, participantes, divinam Victimam Deo offerunt atque seipsoсum Ea; ita tum oblatione tum sacra communione, non promiscue sed alii aliter, omnes in liturgica actione partem propriam agunt. Porro corpore Christi in sacra synaxi refecti, unitatem Populi Dei, quae hoc augustissimo sacramento apte significatur et mirabiliter efficitur, modo concreto exhibent (n. 11).

15. Sed si quilibet credentes baptizare potest, sacerdotis tamen est aedificationem Corporis sacrificio eucharistico perficere, adimplendo verba Dei per prophetam: « Ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda » (n. 17).

16. Episcopus, plenitudine sacramenti Ordinis insignitus, est « oeconomus gratiae supremi sacerdotii », praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerri curat, et qua continuo vivit et crescit Ecclesia (n. 26).

17. In eis (scil. ecclesiis localibus) praedicatione Evangelii Christi congregantur fideles et celebratur mysterium Cenae Domini, « ut per escam et sanguinem Domini corporis fraternitas cuncta copuletur ». In quavis altaris communitate, sub Episcopi sacro ministerio, exhibetur symbolum illius caritatis et « unitatis corporis mystici, sine qua non potest esse salus » (n. 26).

18. Etenim « non aliud agit participatio corporis et sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus transeamus » (n. 26).

19. Ipsi (sc. Episcopi) ... populos suos, ut in Liturgia et praesertim in sacro Missae sacrificio partes suas fide et reverentia impleant, sollicite exhortantur et instruunt (n. 26).

20. Suum vero munus sacrum maxime exercent (presbyteri) in eucharistico cultu vel synaxi, qua in persona Christi agentes Eiusque

---

mysterium proclamantes, vota fidelium sacrificio Capitis ipsorum co-niungunt, et unicum sacrificium Novi Testamenti, Christi scilicet Sese Patri immaculatam hostiam semel offerentis, in sacrificio Missae usque ad adventum Domini repraesentant et applicant (n. 28).

21. Omnia enim eorum opera (sc. laicorum) ... si in Spiritu peragantur, imo molestiae vitae si patienter sustineantur, fiunt spirituales hostiae, acceptabiles Deo per Iesum Christum, quae in Eucharistiae celebratione, cum dominici Corporis oblatione, Patri piissime offeruntur (n. 34).

21. Nobilissima vero ratione unio nostra cum Ecclesia coelesti actuatur, cum, praesertim in sacra Liturgia, in qua virtus Spiritus Sancti per signa sacramentalia super nos agit, divinae maiestatis laudem socia exsultatione concelebramus, et universi, in sanguine Christi ex omni tribu et lingua et populo et natione redempti atque in unam Ecclesiam congregati, uno cantico laudis Deum unum et trinum magnificamus. Eucharisticum ergo sacrificium celebrantes cultui Ecclesiae coelestis vel maxime iungimur communicantes et memoriam venerantes in primis gloriosae semper Virginis Mariae, sed et beati Ioseph et beatorum Apostolorum et Martyrum et omnium sanctorum (n. 50).

#### CONSTITUTIO DE DIVINA REVELATIONE

22. Divinas Scripturas sicut et ipsum Corpus dominicum semper venerata est Ecclesia, cum, maxime in sacra Liturgia, non desinat ex mensa tam verbi Dei quam Corporis Christi panem vitae sumere atque fidelibus porrigerere (n. 21).

23. Sicut ex assidua frequentatione mysterii Eucharistici Ecclesiae vita incrementum suscipit, ita novum spiritualis vitae impulsum sperare licet ex adacta veneratione verbi Dei, quod « manet in aeternum » (n. 26).

#### CONSTITUTIO DE ECCLESIA IN MUNDO HUIUS TEMPORIS

24. Cuius spei arrham et itineris viaticum Dominus suis reliquit in illo sacramento fidei, in quo naturae elementa, ab hominibus exulta, in Corpus et Sanguinem gloriosum convertuntur, cena communionis fraternalae et caelestis convivii praelibatione (n. 38).

**DECRETUM DE OECUMENISMO**

25. ... et in Ecclesia sua Eucharistiae mirabile sacramentum instituit quo unitas Ecclesiae et significatur et efficitur (n. 2).

26. Omnibus quoque notum est quanto cum amore Christiani orientales liturgica Sacra peragant, praesertim celebrationem eucharisticae, fontem vitae Ecclesiae et pignus futurae gloriae, qua fideles cum episcopo uniti accessum ad Deum Patrem habentes per Filium Verbum incarnatum, passum et glorificatum, in effusione Sancti Spiritus, communionem cum Sanctissima Trinitate consequuntur, « divinae consortes naturae ». Proinde per celebrationem Eucharistiae Domini in his singulis Ecclesiis, Ecclesia Dei aedificatur et crescit, et per concelebrationem communio earum manifestatur (n. 15).

**DECRETUM DE ECCLESIIS ORIENTALIBUS CATHOLICIS**

27. Fideles obligatione tenentur diebus dominicis et festis interesse divinae liturgiae aut, iuxta praescripta vel consuetudinem proprii ritus, celebrationi divinarum laudum. Quo facilius fideles hanc obligationem adimplere valeant, statuitur tempus utile, pro hoc praecepto adimplendo, decurrere inde a vesperis vigiliae usque ad finem diei Dominicae vel festi. Enixe commendatur fidelibus, ut his diebus, imo frequentius ac vel etiam quotidie, sacram Eucharistiam suscipient (n. 15).

**DECRETUM DE PASTORALI EPISCOPORUM MUNERE**

28. Iugiter itaque admitantur ut christifideles paschale mysterium penitus cognoscant et vivant, per Eucharistiam, ita ut unum arctissimum efficiant Corpus in unitate caritatis Christi ... (n. 15).

29. In perficiendo opere sanctificationis, curent parochi ut celebratio Eucharistici Sacrificii centrum sit et culmen totius vitae communitatis christiana; itemque adlaborent ut fideles spirituali pabulo pascantur per devotam et frequenter Sacramentorum receptionem atque per conscientiam et actuosam in Liturgia participationem (n. 30).

**DECRETUM DE ACCOMMODATA RENOVATIONE VITAE RELIGIOSAE**

30. Sacram Liturgiam, praesertim sacrosanctum Eucharistiae mysterium, ad mentem Ecclesiae corde et ore peragant atque ex hoc ditissimo fonte vitam spiritualem alant (n. 6).

**DECRETUM DE APOSTOLATU LAICORUM**

31. Sacramentis autem, praesertim SS. Eucharistia, communicatur et alitur illa caritas quae veluti anima est totius apostolatus (n. 3).

**DECRETUM DE ACTIVITATE MISSIONALI ECCLESIAE**

32. Cum autem per proprium suum ministerium — quod praecipue in Eucharistia, quae Ecclesiam perficit, consistit — cum Christo Capite communicent et alios ad hanc communionem adducant (presbiteri) non possunt non sentire quantum adhuc Ipsi ad plenitudinem Corporis desit, et quantum proinde praestandum sit ut in dies crescat (n. 39).

**DECRETUM DE PRESBYTERORUM MINISTERIO ET VITA**

33. Per Presbyterorum ministerium sacrificium spirituale fidelium consummatur in unione cum sacrificio Christi, unici Mediatoris, quod per manus eorum, nomine totius Ecclesiae, in Eucharistia incruente et sacramentaliter offertur, donec Ipse Dominus veniat. Ad hoc tendit atque in hoc consummatur Presbyterorum ministerium. Eorum enim ministratio, quae ab Evangelico nuntio incipit, ex Sacrificio Christi suam vim et virtutem haurit, atque eo tendit ut « tota ipsa redempta civitas, hoc est congregatio societasque sanctorum, universale sacrificium offeratur Deo per Sacerdotem Magnum, qui etiam se ipsum obtulit in Passione pro nobis, ut tanti Capitis corpus essemus » (n. 2).

34. ... verbi praedicatio requiritur ad ipsum ministerium Sacramentorum, quippe quae sint Sacraenta fidei, quae de verbo nascitur et nutritur; quod praecipue valet pro Liturgia Verbi in Missarum celebratione, in qua inseparabiliter uniuntur annuntiatio mortis et resurrectionis Domini, responsum populi audientis et oblatio ipsa qua Christus Novum Foedus confirmavit in Sanguine suo, cui oblationi fideles, et votis et Sacramenti perceptione, communicant (n. 4).

35. ... celebratione praesertim Missae Sacrificium Christi sacramentaliter offerunt (n. 5).

36. Cetera autem Sacraenta, sicut et omnia ecclesiastica ministeria et opera apostolatus, cum Sacra Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur. In Sanctissima enim Eucharistia totum bonum spirituale Ecclesiae continetur, ipse scilicet Christus, Pascha nostrum panisque

vivus per carnem suam Spiritu Sancto vivificatam et vivificantem vitam praestans hominibus, qui ita invitantur et adducuntur ad seipso, suos labores cunctasque res creatas una cum Ipso offerendos. Quapropter Eucharistia ut fons et culmen totius evangelizationis appetet, dum catechumeni ad participationem Eucharistiae paulatim introducuntur, et fideles, iam sacro baptismate et confirmatione signati, plene per receptionem Eucharistiae Corpori Christi inseruntur. Est ergo Eucharistica Synaxis centrum congregationis fidelium cui presbyter preeest. Edocent igitur Presbyteri fideles divinam victimam in Sacrificio Missae Deo Patri offerre atque cum ea oblationem vitae sua facere ... (n. 5).

37. Domus orationis in qua Sanctissima Eucharistia celebratur et servatur, fidelesque congregantur, et in qua praesentia Filii Dei Salvatoris nostri in ara sacrificali pro nobis oblati, in auxilium atque solatium fidelium colitur, nitida, orationi et sacris sollemnibus apta esse debet. In ea Pastores et fideles invitantur ut grato animo respondeant dono Ipsi, qui per Humanitatem suam continuo vitam divinam in membra Corporis sui infundit (n. 5).

38. Nulla tamen communitas christiana aedificatur nisi radicem cardinemque habeat in Sanctissimae Eucharistiae celebratione, a qua ergo omnis educatio ad spiritum communitatis incipienda est. Quae celebatio ut sincera et plena sit tam ad varia caritatis opera mutuumque adiutorium quam ad missionalem actionem, necnon ad varias christiani testimonii formas, ducere debet (n. 6).

39. Presbyteri omnes, una cum Episcopis, unum idemque sacerdotium et ministerium Christi ita participant, ut ipsa unitas consecrationis missionisque requirat hierarchicam eorum communionem cum Ordine Episcoporum, quam optime aliquando in liturgica concelebratione manifestant, et cum quibus coniuncti profitentur se Eucharisticam Synaxim celebrare (n. 7).

40. Cum ceteris ergo membris huius Presbyterii, unusquisque specialibus apostolicae caritatis, ministerii et fraternitatis nexibus coniungitur; quod iam ab antiquis temporibus liturgice significatur ... cum Sacram Eucharistiam unanimi corde concelebrant (n. 8).

41. Ut Sacrorum ministri, praesertim, in Sacrificio Missae, Presbyteri personam specialiter gerunt Christi, qui seipsum ad sanctificandos homines victimam dedit; ideoque invitantur ut quod tractant imiten-

tur, quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, membra sua a vitiis et concupiscentiis mortificare procurent. In Mysterio Sacrificii Eucharistici, in quo munus suum praecipuum sacerdotes adimplent, opus nostrae redēptionis continuo exercetur, et ideo enīxe commendatur eius celebratio cotidiana, quae quidem etiam si praeſentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae (n. 13).

42. Haec quidem pastoralis caritas maxime profluit a Sacrificio Eucharistico, quod ideo centrum et radix totius vitae Presbyteri exstat, ita ut quod in sacrificiali ara agitur, sacerdotalis animus in se referre studeat (n. 14).

43. Prae omnibus spiritualibus subsidiis illi eminent actus, quibus christifideles ex dupli mensa Sacrae Scripturae et Eucharistiae Verbo Dei nutriuntur (n. 18).

44. Ad suum ministerium cum fidelitate adimplendum, colloquium cotidianum cum Christo Domino in visitatione et personali cultu Sanc-tissimae Eucharistiae sibi cordi sit (n. 18).

---

*Nuperrime edita sunt acta Conventus « de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum », diebus 9-13 novembribus 1965 Romae celebrati, nempe:*

**lingua italica:** Le traduzioni dei libri liturgici. Atti del Congresso tenuto a Roma il 9-13 novembre 1965. *In-8°, pp. 350, L. 2.000.*

*Continet omnes relationes, potiores « communicationes », et insuper documenta « Consilii » et SRC ad usum linguae vernaculae et editionem librorum liturgicorum spectantia.*

**Lingua gallica:** Les traductions liturgiques. Congrès International. Rome 1965. « *La Maison Dieu* », 86 (1966), pp. 200.

*Refert potiores relationes.*

# Documentorum explanatio

## D U B I A

*Solutio quae proponitur nullam induit vestem officialem. Solummodo habet valorem orientativum: solutiones enim ex officio publici iuris fient, si casus fert, a competenti Auctoritate in « Acta Apostolicae Sedis ».*

### 98. UTRUM LICEAT MISSAM LINGUA VERNACULA CANTARE

A nonnullis dubium movetur an liceat Missam etiam lingua vernacula cantare. Afferunt enim quidam e Constitutione de sacra Liturgia hoc erui non posse.

\* \* \*

Principia ad dubium solvendum habentur in ipsa Constitutione.

Explicita vero et authentica eorundem principiorum interpretatio legitur in Instructione ad eiusdem Constitutionis executionem recte ordinandam, die 26 sept. 1964, a SRC data.

Singula percurramus, *integros articulos eorumque ad invicem connexionem p[re]ae oculi habendo.*

1. Principium generale de admissione linguae vernaculae in liturgiam habetur in art. 36 Constitutionis, qui statuit:

1. *Linguae latinae usus, salvo particulari iure, in Ritibus latinis servetur.*

2. *Cum tamen, sive in Missa, sive in Sacramentorum administratione, sive in aliis Liturgiae partibus, haud raro linguae vernaculae usurpatio valde utilis apud populum existere possit, amplior locus ipsis tribui valeat, imprimis autem in lectionibus et admonitionibus, in non-nullis orationibus et cantibus, iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur.*

3. *Huiusmodi normis servatis, est competentis auctoritatis ecclesiasticae territorialis, de qua in art. 22, 2, etiam, si casus ferat, consilio habito cum Episcopis finitimarum regionum eiusdem linguae, de usu et modo linguae vernaculae statuere, actis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis.*

4. *Conversio textus latini in linguam vernaculam in Liturgia adhibenda, a competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua supra, approbari debet.*

Ex hoc articulo eruitur:

a) Linguam latinam retinendam esse in ritibus latinis, idest linguam liturgicam propriam ritus latini permanere, etsi ex Concilii deliberationibus etiam lingua vernacula in liturgiam admittitur.

b) Linguam vernaculam admetti, quibusdam condicionibus, uti linguam liturgicam, in sacras celebrationes.

c) Condiciones autem ut lingua vernacula in liturgiam admittatur, esse:

1. ut Coetus Episcoporum cuiusque nationis statuat de eius *usu* (idest de facultate eam adhibendi) et de eius *modo* (idest de limitibus intra quos eam adhibere licet);

2. ut normae serventur, quae pro diversis liturgiae partibus in respectivis capitibus indicantur.

d) Exempla adducta esse tantummodo indicativa: nam dicitur *imprimis ... in nonnullis*, et expresse remittitur ad ea quae pressius indicantur in sequentibus capitibus.

e) Nullum haberi discrimen inter celebrationes in cantu et sine cantu peractas.

II. Ad Missam quod attinet, principia in art. 36 enucleata pressius explicantur et applicantur in art. 54, qui proinde satisfacit statutis articuli 36 de normis singillatim statuendis. En textus art. 54: *Linguae vernaculae in Missis cum populo celebratis congruus locus tribui possit, praesertim in lectionibus et « oratione communi », ac, pro condicione locorum, etiam in partibus quae ad populum spectant, ad normam art. 36 huius Constitutionis.*

*Provideatur tamen ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae quae ad ipsos spectant possint simul dicere vel cantare.*

*Sicubi tamen amplior usus linguae vernaculae in Missa opportunus esse videatur, servetur praescriptum art. 40 huius Constitutionis ».*

Ex hoc eruitur:

a) linguam vernaculam admetti « in Missis cum populo celebratis », nullo facto discrimine inter Missam in cantu et Missam lectam.

b) Dari gradus huius admissionis:

— *praesertim*, idest quodammodo ex natura rei, in lectionibus et oratione communi;

— *pro condicione locorum*, idest maiore vel minore extensione prout fidelium facultas conscientiae et actuose participandi id requiri, etiam in partibus quae ad populum spectant.

c) Servandas esse normas art. 36, idest, in concreto paragraphos tertiam et quartam. Nam prima paragraphus principium statuit generale, de servanda lingua latina in ritibus latinis; secunda vero iam determinatur verbis ipsius art. 54.

III. Ad concrete applicandum ergo art. 54 determinandae manent, in praxi, quaenam sint partes « quae ad populum spectant ».

Haec autem locutio, quae in hoc articulo 54 substituit et definit illa generaliora verba art. 36: *in nonnullis orationibus et cantibus*, derivatur ab Instructione SRC diei 3 sept. 1958, in qua gradus proponuntur participationis populi tum pro Missa in cantu (n. 25) tum pro Missa lecta (n. 31) et partes innuuntur, quas fideles opportune participare possunt.

Quae omnia aperte assumuntur et, iuxta principia Constitutionis, per gradus ordinantur in n. 57 *Instructionis ad executionem Constitutionis de sacra Liturgia recte ordinandam*, diei 26 sept. 1964.

En textus huius numeri:

*In Missis sive in cantu sive lectis, quae cum populo celebrantur, competens auctoritas ecclesiastica territorialis linguam vernaculam admittere potest, acis ab Apostolica Sede probatis seu confirmatis:*

a) *praesertim in proferendis Lectionibus, Epistola et Evangelio, necnon in oratione communi seu fidelium;*

b) *pro condicione autem locorum, etiam in cantibus Ordinarii Missae, nempe: Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus-Benedictus et Agnus Dei, et in antiphonis ad introitum, ad offertorium et ad communionem, necnon in cantibus inter lectiones occurrentibus;*

c) *insuper in acclamationibus, salutationibus et formulis dialogi, in formulis: Ecce Agnus Dei; Domine, non sum dignus et Corpus Christi in communione fidelium, et in oratione dominica cum sua admonitione et embolismo.*

Hoc textu omne dubium adimitur. Nam non solummodo excluditur per silentium, sicut in Constitutione, discrimin quodlibet inter Missam in cantu et Missam lectam, sed idem discrimin aperte reicitur: dicitur enim expresse: « *In Missis sive in cantu sive lectis, quae cum populo celebrantur* ».

IV. Nullo modo ergo accipi potest interpretatio a quibusdam data, nempe verba art. 36: *in nonnullis orationibus et cantibus intellegenda esse solummodo de orationibus aut cantibus lingua vernacula, quae fideles in Missa addere possunt praeter textus liturgicos.*

Hoc iam licebat, habitualiter in Missa lecta, ex consuetudine vel indulto in Missa in cantu (cfr. *Instr.* 3 sept. 1958, n. 14 et 13 c).

Ceterum natura verae participationis actuosae exigit ut fideles non alias precationes aliosve cantus proferant, quasi aliam actionem ab actione sacerdotis celebrantis peragentes, sed ut easdem preces eosdemque cantus, pro sua parte, participent, ita ut unitas actionis liturgicae clare manifestetur.

V. In praxi ergo Missam lingua vernacula cantare licet, dummodo:

- a) Coetus Episcoporum nationalis hoc permiserit et interpretationes approbaverit atque confirmationem Apostolicae Sedis habuerit;
- b) cantus qui lingua vernacula proferentur intra limites continentur ab eodem Coetu Episcoporum statutos;
- c) Melodiae a sacerdote eiusque ministris canendae sint a Coetu Episcoporum approbatae.

N.B. — Melodiae pro cantibus *Ordinarii* Missae non requirunt approbationem Coetus Episcoporum.

VI. Quid ergo de thesauro musicae sacrae saeculis anteactis pro textibus latinis conscripto?

a) Etsi lingua vernacula admittitur, lingua latina non excluditur: proinde in celebrationibus lingua latina, aut ex integro aut partim, peractis, thesaurus traditus adhibetur, formis selectis quae facultatibus cuiusque coetus fidelium et cuiusque scholae cantorum respondent.

b) Huic autem thesauro, a saeculis anteactis tradito, nunc apponitur alia eiusdem thesauri pars, pro textibus lingua vernacula conscriptis. Tempus certe necessarium erit, ut ad perfecta opera habenda perveniatur; proinde laude digni sunt, qui suum ingenium suamque artem ad novas melodias conscribendas applicant.

c) Periti insuper bene indicare valent num in singulis celebrationibus aliae partes lingua latina aliae lingua vernacula cani possint, attentis cuiusque linguae ingenio et peculiaribus dotibus.

---

## VARIA

### DE PASCHA EODEM DIE CELEBRANDA IN CALENDARIO LATINO ATQUE ABYSSINO

Omnibus compertum est quod, post decretum Nicenae Synodi, in Ecclesia latina celebratur Pascha die dominica immediate post lunam decimam quartam martii, quae incidat post veris aequinotium, idest post diem vigesimum primum martii, vel ipso die vigesimo primo; ita ut Pascha celebrari valeat a die vigesima secunda martii, et non ultra diem vigesimam quintam aprilis. Computatio calendarii abyssini de statuenda die in qua Pascha celebratur, valde complexa est. Sed certum est, et nobis scire sufficit quod in calendario abyssino celebratur Pascha die dominica immediate post lunam decimam octavam martii (*Megabit*), quae luna ante diem vigesimam quintam martii non potest occurrere. Quare, mihi videtur, in calendario abyssino Pascham decurrere posse a die vigesima sexta martii, sed non ultra diem trigesimum aprilis, vel primis maii diebus.<sup>1</sup>

Anno proximo 1967 habetur casus, qui typicus dici posset, de temporis variatione in duobus calendariis quoad Paschae celebrationem; quia in calendario latino incidit die vigesima sexta martii, et in calendario abyssino die trigesima aprilis; ita ut in primo habeantur duae dominicae post Epiphaniam, et viginti octo post Pentecosten; in altero vero septem dominicae post Epiphaniam, et viginti tres post Pentecosten.

Cum in Breviario et Missali Romano sex dominicae post Epiphaniam et viginti quattuor post Pentecosten habeantur, ut etiam in calendario latino Pascha hoc anno incidat die trigesima aprilis, sicut in calendario abyssino, cum beneplacito S. Congr. pro Eccl. Orientali (Prot. 58/66, die 5 martii 1966) et Consilii ad exsequendam Constitutionem de sacra Liturgia (Prot. n. 848/66, die 12 martii 1966), hae quae sequuntur variationes inducuntur.

Die septima ianuarii, cum in Calendario abyssino Nativitas D. N. I. C. celebratur, in Calendario latino celebratur festum Epiphaniae Domini, quod festum in altero calendario deest. In Officio infra hebdomadam I post Epiphaniam dicuntur lectiones ex Epistula ad Romanos, quae supersint, cum Responsoriis de « tempore Epiphaniae » vel « post Epiphaniam »; in I Nocturno autem festi Commemorationis Baptismatis D. N. I. C. sumuntur lectiones de I Nocturno diei Epiphaniae, ut provideatur omnibus hebdomadae diebus. In II dominica post Epiphaniam et sua hebdomada sumuntur lectiones de Scriptura olim dominicae I post Epiphaniam assignatae

<sup>1</sup> P. MAURO DA LEONESSA, O.F.M. Cap., *Computo per il Calendario abissino confrontato col computo latino*. Asmara, Tip. Francescana (Missione Catt.), 1918, p. 49 e 53.

(Inc. Ep. I ad Corinthios), lectio III de Evangelio cum homilia ut in III Nocturno festi sanctae Familiae (VII lectio tantum), antiphona ad *Benedictus* et ad *Magnificat*, nec non Missa de dominica I post Epiphaniam. In dominica III post Epiphaniam et sua hebdomada sumuntur omnia quae sunt propria de dominica II post Epiphaniam (Inc. Ep. II ad Corinthios, et caetera). Ita transferuntur in dominicam sequentem et suam hebdomadam quae sunt propria dominicae praecedentis, usque ad dominicam VII post Epiphaniam et suam hebdomadam, cum omnibus quae sunt propria de dominica VI post Epiphaniam; ut fit quando transferuntur dominicae quae supersint post Epiphaniam in dominicis post Pentecosten, ad impletum numerum ante dominicam XXIV et ultimam post Pentecosten. Et ita pervenitur ad dominicam Septuagesimae. Cum vero, in casu, dominicae post Pentecosten sint tantummodo viginti tres, omittitur dominica vigesima tercia post Pentecosten, et suo loco fit de dominica vigesima quarta et ultima post Pentecosten; ita ut regulariter perveniatur ad dominicam I Adventus.

Aliae variationes facienda ad plenorem uniformitatem inter duo calendaria adipiscendam, sunt: Festum SS. Petri et Pauli (29 iunii) ad diem 6 iulii transfertur; Festum Assumptionis B. M. Virginis ad 22 augusti et festum Immaculati Cordis B. Mariae Virginis ad 15 augusti.

Quae tamen immutationes characterem tantum provisorium habent, scilicet usquedum tota quaestio profundiori studio penitus pervestigetur et instauratio liturgica ad conclusionem deveniat.

Attamen variationum ope quas supra adduximus sufficienter provisum est, ut, servata propria indole in utroque calendario, ad celebrandum sanctum Paschae festum eodem die eodemque gudio perveniatur. Quod est in votis pro omnibus Ecclesiis, quae christiana professione censemur.

P. CONSALVO DA MEDA  
Calendarista O.F.M. Cap.

#### APTATIONES IN CELEBRATIONE MISSAE PRO SURDIS

Concessione habita linguam sic dictam « per gestus » in celebrationibus liturgicis pro surdis adhibendi (Cfr. *Notitiae* 2 [1966] 30-31), necessariae aptationes in rubricis Missae, in qua lingua « per gestus » adhibetur, a Commissione liturgica Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis una cum *International Catholic Deaf Association*, apparatae sunt. Quae sic sonant:

1. Gestus permittuntur tantum in illis Missae partibus quae lingua vulgari dicit possunt.
2. Cantus ad introitum ab aliquo surdo dirigitur.

3. Si tamen cantus ad introitum a congregatione non dicitur et omnes preces ad pedem altaris faciendas participant, sacerdos illas versus populum profert, inclinatione ad *Confiteor* omissa.

4. Quantum fieri potest, lector qui gestibus epistolam proclamat, etiam voce utatur. Si propter incapacitatem physicam hoc fieri nequit, alius epistolam legat dum lector surdus eam gestibus significat.

5. Propter difficultatem Symbolum Nicenum gestibus interpretandi eiusque conceptus accurate reddendi, congregatio symbolum apostolicum gestibus exprimat, dum sacerdos elata voce symbolum nicenum profert.

6. Antequam sacerdos *Pater noster* cum sua monitione gestibus significet, digitos purificat super corporale.

7. Sacerdos conclusionem embolismi orationis dominicae sine gestibus recitat, dein crucis super calicem facit et particulam in ipsum mittit, nihil dicens, statimque digitos purificat supra corporale, et gestibus significat *Pax Domini*.

8. Sacerdos pixidem supra corporale relinquit dum significat « Ecce agnus Dei ... », ante fidelium communionem. Postea hostiam supra pixidem de more tenet dum director surdos ducit ut triplicem « Domine, non sum dignus » exprimant.

9. Valde commendatur ut partes quae una simul a celebrante et a populo gestibus significanda sunt, melodia rythmica et simplici modulentur ad fovendum bonum motum et elegantiam gestuum. (Cfr. *Newsletter*, vol. 2, No. 4, april 1966).

#### CONVENTUS

\* *Worship in the City of Man*. Est argumentum XXVII « Liturgical Week » in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, a « Liturgical Conference » ordinata, et quae celebrabitur apud Huston, Texas, diebus 22-25 augusti huius anni. Praeter relationes cum themate Hebdomadae conexas, coetus quoque particulares habebuntur circa quasdam quaestiones alicuius momenti in actuali phasi reformationis liturgicae.

\* Diebus 29 augusti - 2 septembris 1966, Papiae in Italia habebitur XVII Hebdomada sacrae liturgiae dicata, cuius thema est *La Chiesa sacramento e i Sacramenti della Chiesa*.

## Bibliographica

---

*In hac « rubrica » elencha bimus publicationes, quae ad Redactionem mit-  
tuntur. A iudicio operum abstinebimus, salva una aliave adnotacione cha-  
racteris pure editorialis. Ipsa inscriptio cuiusdam operis in hoc elenco nul-  
lum includit operis iudicium.*

*The Book of Catholic Worship.* Washington, The Liturgical Conference,  
1966. In-8°, XII-807 pp.

D. F. DEBUYST, *Architecture moderne et célébration chrétienne.* Bruges, Biblica, 1966. In-8°, 64 pp.

J. A. GRACIA GIMENO, *Las oraciones sobre las ofrendas en el sacra-  
mentario leoniano.* Madrid, Consejo Superior de investigaciones  
científicas, Instituto « Francisco Suárez », 1965. In-8°, 158 pp.

*Ich Kann Verzeihung finden.* Beichtandacht für 12-14 jährige. Linz,  
Veritas Verlag, s.d. 10,5×14,5 cm., 20 pp.

*Ich darf beichten.* Beichtandacht für 8-11 jährige. Linz, Veritas Verlag,  
12 pp.

*Jesus Christ Reforms his Church.* Proceedings of the twenty-sixth  
North American liturgical Week, Baltimore, Portland, Chicago,  
1965. Washington, The Liturgical Conference, 1966. In-8°,  
XIII-269 pp.

P. JOUNEL, *L'Instruction du 26 septembre 1964.* Les premières étapes  
de la réforme liturgique, I. Paris, Desclée & Co., 1965. In-16°,  
171 pp.

P. JOUNEL, *Le rites de la Messe en 1965.* Les premières étapes de la  
réforme liturgique, II. Paris, Desclée & Co., 1965. In-16°, 216 pp.

P. JOUNEL, *La Concélébration.* Les premières étapes de la réforme litur-  
gique, III. Paris, Desclée, 1966. In-16°, 248 pp.

P. JOUNEL, *Commento alla Istruzione del 26 settembre 1964.* Roma,  
Desclée, 1966. In-16°, 178 pp.

HERMANN und JOSEPH KRONSTEINER, *Ruf-Proprium. Singstimme für  
das Volk.* Linz, Veritas-Verlag, s.d. 10,5×14,5 cm., 12 pp.

*Laudes, Vêpres et Complines de l'Office Romain.* Paris-Tournai, Des-  
clée & Co., 1966. In-16°, 832 pp.

- The Liturgy and the future.* Edited by J. D. CRICHTON Worcester-London, Fowler Wright Books, 1966. In-8°, 173 pp.
- The Maryknoll Missal.* Containing the official texts of Masses offered every day of the year and the complete psalter. New York, Kennedy & Sons, 1966. In-12°, 1280 pp.
- J. MOSSAY, *Les fêtes de Noël et d'Épiphanie.* Louvain, Abbaye du Mont César, 1965. In-8°, 83 pp., 185 FB.  
— In Gallia distribuitur ab « Office general du Livre », Paris.
- H. OSTER, *Il mistero pasquale nella pastorale.* Roma, Edizioni Paoline, 1965. In-16°, 142 pp.
- KARL RAHNER, *L'Eucharistie et les hommes d'aujourd'hui.* Tours, Maison Mame, 1966. In-16°, 200 pp.
- A. SCHOTT, OSB, *Das Messbuch der heiligen Kirche.* Freiburg i. B., Herder, 1966. In-24°, 1650 pp.
- A. SPEME, *Il libro del ministrante.* Padova, Edizioni Messaggero, Milano, Opera della Regalità, 1966. In-16°, 104 pp.
- H. VOLK, *Gesammelte Schriften.* Band II, Mainz, Matthias-Grünewald-Verlag, 1966. In-8°, 343 pp.
- H. VOLK, *Les fondements théologiques de la liturgie.* Paris, Desclée & Co., 1965. In-16°, 114 pp.
- Yearbook of liturgical studies*, vol. 6. Edited by John MILLER, CSC. Collegeville, The Liturgical Press, 1965. In-8°, 220 pp.
- Cantus aucti pro Missa et Concelebratione.* New York, Benziger Brothers, s.d. 18,5×26,5 cm., 32 pp.
- The rite of concelebration of Mass and of Communion under both Species.* New York, Benziger Brothers, 1965. In-8°, 140 pp.  
— Continet textus latinum et anglicum *Ritus servandi in concelebratione Missae et ritus Communionis sub utraque specie.*
- Graduels.* - Traits - Alléluias en chant français pour les dimanches et fêtes. II. Du dimanche dans l'octave de Pâques au dernier dimanche après la Pentecôte. Paris, Les Editions du Cerf-Desclée, 1966. 25×19 cm., 68 pp.
- Accompagnements. Graduels - Traits - Alléluias. II. Du dimanche dans l'octave de Pâques au dernier dimanche après la Pentecôte.* Par L. BONFILS. 135 pp.  
— Pro his duobus fasciculis cfr. *Notitiae*, 2 (1966) 119.

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

## Le Graduel Romain

Edition critique  
par les moines de Solesmes

Le but que se propose cette Édition est de restituer le Graduel Romain, paroles et musique, en la forme qui est à l'origine de notre tradition manuscrite, et se situe selon toute vraisemblance à la fin du VIII<sup>e</sup> siècle. Les liturgistes et les musicologues trouveront là une base ferme pour des recherches ultérieures, car les éditeurs prendront soin de distinguer les points douteux, matière à conjectures, et ceux qui, présentant une certitude raisonnable, constituent des matériaux solides.

Pour atteindre ce but, les moyens sont en substance ceux que Dom Mocquereau avait prescrits: appliqués aux livres liturgiques, et à la musique aussi bien qu'aux paroles, les méthodes critiques élaborées par les philologues à propos des textes littéraires. Mais pour tirer au clair bien des points encore obscurs, il a fallu reprendre par la base le problème des méthodes de critique textuelle en général.

La publication a commencé par le Tome II, *Les Sources* (1957); on y trouve un répertoire d'environ 740 manuscrits, parmi lesquels figurent non seulement tous les plus anciens, mais aussi quelques exemplaires plus récents, jusqu'au XV<sup>e</sup> siècle, à titre d'échantillons. Une brève notice, suivie éventuellement d'une bibliographie succincte, donne sur chacun des manuscrits les indications indispensables.

Dans le Tome IV, *Le texte neumatique*, qui a paru ensuite, on considère les neumes abstraction faite des intervalles mélodiques, à condition bien entendu qu'il s'agisse de la même mélodie dans les manuscrits comparés. Le premier volume, *Le groupement des manuscrits* (1960) réalise un sondage qui porte sur près de 400 manuscrits de toutes provenances et de dates diverses du X<sup>e</sup> au XV<sup>e</sup> siècle. Les variantes neumatiques révèlent dans quelle mesure les manuscrits se rassemblent selon leurs affinités, formant des groupes qui correspondent aux zones culturelles et s'expliquent par l'histoire. Le second volume, *Relations généalogiques des manuscrits* (1962), retient seulement une trentaine de manuscrits, les plus représentatifs des groupes reconnus dans le premier. On y constate que les relations généalogiques sont troublées par une contamination profonde; cependant les principaux centres musicologiques de l'Europe apparaissent comme des « unités » distinctes, et en leur appliquant un critère de quasi-unanimité géographico-culturelle, on peut reconstituer de façon assez ferme le texte neumatique de l'« ancêtre commun » de nos manuscrits: les incertitudes portent seulement sur des détails peu importants. C'est ce que montre le spécimen de restitution neumatique (la messe *Ad te levavi*) par lequel se termine le Tome IV.

Le Tome III, *Le texte littéraire* (à paraître prochainement) donnera le contenu liturgique, c'est-à-dire les paroles seules, avec la structure du Graduel et la teneur des pièces ou parties diverses qui le composent. Précédant l'édition proprement dite, une série de monographies étudieront les divers problèmes que pose la restitution.

Le Tome V, *Le texte mélodique*, reprendra le texte littéraire des pièces déjà donné dans le Tome III, et lui superposera le texte musical, à la fois sous sa forme neumatique *in campo aperto* et avec la traduction mélodique sur portée. Pour épargner au grand public une documentation d'une abondance excessive, l'édition imprimée ne donnera sur les variantes que les indications principales; mais l'apparat complet sera mis à la disposition des spécialistes sous forme de micro-films ou de micro-fiches: on y trouvera la photographie des tableaux qui sont à la base du travail critique, et contiennent la transcription intégrale des manuscrits les plus importants.

Le Tome I paraîtra en dernier. Ce sera tout à la fois une Introduction générale et une présentation synthétique de tout l'ouvrage. Les éditeurs y feront aussi une sorte d'*« auto-critique »*, persuadés qu'en décrivant leurs hésitations et leurs tâtonnements, ils feront bénéficier tout le monde de leur expérience, et rendront aux critiques un service d'une portée générale.

---

# **LIBRERIA EDITRICE VATICANA**

---

**DOCUMENTI E SUSSIDI DI «NOTITIAE»**

*novissime prodierunt*

## **De oratione communi seu fidelium**

1. vol. in 8°, pp. 182, L. 1.500 (\$ 2,50).

In fasciculo, parato a «Consilio», orationis communis natura, momentum ac structura describuntur et criteria indicantur ad eam parandam. Liber, secunda vice impressus, ditior factus est, 54 praebens specimina sive generalia sive pro peculiaribus temporibus et festis anni liturgici. Ad faciliorem reddendum opus interpretationis et aptationis pro Commissionibus liturgicis nationalibus quae schemata confidere debent pro propria dicione, specimina orationis communis dantur linguis latina et gallica.

## **Le traduzioni dei libri liturgici Atti del Congresso tenuto a Roma il 9-13 novembre 1965**

1. vol. in 8°, pp. 350, L. 2.000 (\$ 3,60).

Colligit acta Conventus «de popularibus interpretationibus textuum liturgicorum», nempe: Allocutiones Summi Pontificis et Em.mi Cardinalis «Consilii» Praesidis, omnes relationes ex integro, potiores interventiones seu «communications», insuper omnia documenta linguam vernaculam et instauratem liturgicam spectantia a «Consilio» data, atque novissimum Decretum de editionibus librorum liturgicorum a SRC evulgatum. Practice, hoc volumine praebentur omnia quae magnum problema de introductione linguae vernaculae in liturgia spectant, scilicet mens Apostolicae Sedis et experientia peritorum.

## **Canon Missae pro Concelebratione**

13 × 21 cm., pp. 70, L. 500 (\$0,90).

Hoc parvo libello praebetur Canon Missae eiusque textus proprii et cantus, ad usum concelebrantium.